Biblioteka
U. M. K.
Toruń
93089
II

Ioh. Poselger.
Gottingae 1789.

PROLEGOMENA IVRIS NATVRALIS

IN VSVM AVDITORVM

AVCTORE

GOTTFRIEDO ACHENWALL
PROFESSORE PHILOS. ORD. ET IVR. EXTRAORD.
IN ACAD. GEORGIA AVGVSTA

CVRATIVS EXARATA
ET NVNC PRIMVM SEPARATIM
EDITA

GOTTINGAE
SVMTIBVS VICTORINI BOSSIEGEL
cIↃIↃCCLVIII.

ELB GYMN. BIBL.
GG 6

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
5385

BIBLIOTEKA W TORUNIU UNIWERSYTECKA

93089

AD LECTOREM.

Animus eſt, in prolegomenis hisce exponere ea argumenta philoſophica, quibus ad iura atque ad obligationes naturales ſpeciales tum rectius ſtabiliendas tum plenius perſpiciendas via paratur, quorumque ideo cognitio praemittenda eſt ſingularum Iurisprudentiae Naturalis partium tractationi, vt Legum aeternarum quarumcumque rationes vlteriores et primariae, vnde ſingulae legis cuiuslibet ratio proxima, ſuo quaeque loco commemoranda, promanat, intelligantur, earumdemque ſimul nexus atque ſyſtema mente comprehendatur. Itaque ad duo potiſſimum capita redeunt, quae hoc opuſculo tradere conſtituimus: explicanda nimirum ſunt tum principia illa generaliora, quibus, e diſciplinis Philoſophiae ſuperioribus repe-

repetitis, innititur tamquam fundamento ſuo Iurisprudentia Vniuerſalis; tum vero ea etiam, quae ad genuinum Iuris Naturalis conceptum efformandum pertinent, quaeque generatim et in vniuerſam hanc ſcientiam concernunt, excutienda.

Atque haec Prolegomena, quae Elementorum Iuris Nat. noſtrorum opere hactenus continebantur, nunc ab iſto corpore ſeiungere, ſingularique libello in publicum emittere viſum eſt, quod, curatius et magna ex parte denuo exarata, ampliora exſtitere, quam quae vna cum ipſo Iuris Naturalis ſyſtemate integro, iisdem praelectionibus, intra ſemeſtre abſoluendis, poſſent pertractari, eamque ob cauſſam peculiaribus etiam acroaſibus manent deſtinata. D. Gottingae, d. XX. Iul. a C. N. CIↃIↃCCLVIII.

CON-

CONSPECTVS
PROLEGOMENORVM
IVRIS NATVRALIS
GENERALIOR.

Vt ratio atque ordo dicendorum facilius perſpiciatur, ſequentia praeprimis notari merentur.

1. IVS NATVRALE, cuius Prolegomena hic ſiſtimus, per totum Elementorum noſtrorum ſyſtema *ſcientiam legum naturalium perfectarum* denotat, quo ſignificatu ſpeciatim etiam IVS NATVRALE STRICTVM ſeu COGENS appellari ſueuit.

2. LEX generatim eſt propoſitio obligationem enuncians, ideoque omnis legum Iuriumque generis cognitio pro fundamento habet notionem OBLIGATIONIS. Inde ratio inſcriptionis capitum: de OBLIGATIONE, OBLIGATIONE NATVRALI cet. pateſcit.

3. Obligatio duo habet connexa, alterum antecedens, *actionem liberam*; alterum conſequens, *imputationem*. Hinc agimus

a) de

a) de ACTIONIBVS HOMINIS LIBERIS CAP. I.

b) de OBLIGATIONE ipsa, secundum significationem eius generalissimam, CAP. II.

c) de IMPVTATIONE, eodem significatu, CAP. III.

4. *Obligatio naturalis perfecta*, 1) qua *naturalis* est species *obligationis moralis* seu *internae*, h. e. quae metu poenae Diuinae efficitur, 2) qua *perfecta* est species *obligationis externae*, i. e. quae metu coactionis humanae efficitur. Itaque agendum

a) de OBLIGATIONE MORALI CAP. IV.

b) de OBLIGATIONE NATVRALI in genere CAP. V.

c) de OBLIGATIONE NATVRALI PERFECTA CAP. VI.

d) de OBLIGATIONE EXTERNA CAP. VII.

e) de OBLIGATIONE NATVRALI PERFECTA, QVA EXTERNA, CAP. VIII.

CON-

CONSPECTVS
SINGVLORVM CAPITVM
PROLEGOMENORVM IVRIS NATVRALIS.

CONSPECTVS CAP. I.
de actionibus hominis liberis.

Agitur

I. generatim de hominis constitutione §. 1.

II. speciatim de facultatibus animae humanae, cognoscitiua ac appetitiua 2, et vtriusque diuisione in superiorem atque inferiorem facultatem 3.

III. specialius de facultatibus animae superioribus, intellectu et voluntate 4. 5.

IV. specialissime de libertate mentis 6, vnde concipiuntur actionis liberae

1. notio et diuisio in commissiuam atque omissiuam 7.
2. requisita 8.
3. extensio 9.

Adiicitur atque ex dictis explicatur naturae humanae conceptus 10.

CONSPECTVS CAP. II.
de obligatione.

De obligationis et legis

I. notione 11. 12. 13.

II. requisitis 14-18.

III. diuisione 19.

IV. efficiendae ratione s. obligandi modis 20.

V. quantitate 21.

VI.

VI. existentia 22.
VII. principio fiendi et cognoscendi 23. cum conclusionibus praecipuis 24.
VIII. collisione cum alia obligatione et lege 25.
IX. relatione ad actiones, vnde harum dimanant variae species 26.

CONSPECTVS CAP. III.
de Imputatione.

I. in genere de imputationis
1. notione cum connexis 27-29.
2. requisitis, quae sunt eadem cum requisitis ratiocinii 30. quoad
A. materiam seu praemissas
a. minorem, factum 31.
b. maiorem, legem 32.
B. formam seu modum concludendi 33.
II. in specie de imputatiuitatis in poenam
1. applicatione ad diuersa facta, quibus lex violatur, s. facta minus recta, et quidem
A. generatim ad facta, quibus inest defectus rectitudinis
a. inuincibilis 34.
b. vincibilis seu reatus 35, vel culpa vel dolus 36.
B. speciatim ad facta minus recta, quae patrantur
a. ex ignorantia et errore 37.
b. contra legem praeceptiuam 38.
c. per se non-libera 39.

d. in-

d. inuita 40.

2. quantitate 41, cum generali conclusione de duplici legis cuiusque virtute 42.

CONSPECTVS CAP. IV.

de obligatione morali.

Traduntur notiones genuinae

I. obligationis moralis & legis moralis 43.

II. terminorum connexorum

1. generalium, sc. eius, quod est moraliter necessarium, mor. possibile, mor. possibile et facultatis moralis 44. cum corollariis 45.

2. specialium, sc. actionum, differentium pro diuerso earum ad leges morales habitu, vnde euadunt

A. moraliter licitae vel illicitae,

B. moraliter bonae vel malae seu peccata,

C. morales vel moraliter indifferentes 46.

3. specialiorum sc. officii moralis et virtutis 47. vna cum corollariis 48.

CONSPECTVS CAP. V.

de obligatione naturali.

I. Generatim de obligatione nat., lege nat. et Iure Nat. quoad eius

1. notionem 49. 50. 51.

2. existentiam 52. 53.

3. vim

3. vim obligandi 54-57.
4. principia
A. in genere, principium fiendi, princip. cognoscendi primum 58. et fontem cognitionis vniuersalem 59.
B. in specie, principia cognosc. generaliora e primo promanantia 60.
5. relationem ad actiones humanas, vnde enascuntur species
A. actionum variae 61.
B. officiorum naturalium 62.
6. denominationem, quatenus Ius Nat. recte appelletur
A. Ius 63.
B. Ius rationis 64.
C. Ius Naturale 65. cum corollario de eius valore citra promulgationem 66.
D. Ius Necessarium, Vniuersale, Immutabile, Aeternum 67.
7. praemia et poenas
A. in genere 68.
B. in specie
a. voluptatem et taedium 69.
b. conscientiam bonam et malam 70.
c. habitus moraliter bonos et habitus prauos 71.
d. existimationem bonam et malam 72.
e. expectationem felicitatis vel infelicitatis maioris in vita futura 73. vnde quaedam colliguntur 74-76.

8. gra-

8. gradationem atque hinc collisionem officiorum
A. in genere moralium 77. 78.
B. in specie
a. naturalium inter se inuicem 79.
b. naturalis officii cum officio morali positiuo 80.
II. speciatim de officiis
1. erga alios seu socialitatis, h. e. iis naturalibus, quae profluunt ex societate hominum vniuersali,
A. de societatis Vniu. notione latiori 82. et strictiori 83.
B. de officiorum socialitatis
a. principiis generalioribus 84. 85.
b. vi obligandi 86.
2. erga se ipsum 87. et cum iis connexiis
A. iuribus 88. iisque respondentibus
B. obligationibus aliorum 89, vnde nascitur notio legis iubentis et permittentis 90.
III. specialius de Iure Nat., qua scientia legum socialitatis, applicato ad statum hominum
1. naturalem, vnde Ius mere Naturale,
2. socialem,
A. in genere, vnde Ius Sociale Vniuersale 91. 92. 93.
B. in specie ad
a. familiam, vnde Ius societatum domesticarum Vniuersale,

b. Ci-

b. Ciuitatem, vnde Ius Ciuitatis Vniuersale 94. 95. et speciatim Ius Gentium Vniu. concipitur 96. 97.

CONSPECTVS CAP. VI.

de obligatione naturali perfecta.

I. In genere diuisio traditur
1. obligationis nat. in perfectam et imperfectam 98.
2. legis natur. in perfectam et inperfectam,
3. Iuris obiectiue sumti Nat. in Cogens et Non-Cogens 99.
4. iuris subiectiue s. Nat. in strictum seu perfectum et imperfectum 100.

II. In specie Ius Naturae Cogens
1. definitur 101.
2. probatur e iure nat. stricto cuiusque in sui conseruationem 102-105.
3. deduciturque inde
A. obligationis nat. perf. limes
1. ad facienda quaedam dumtaxat officia erga alios 106.
2. ad reliqua officiorum nat. genera nemini extorquenda 107.
B. iuris nat. stricti extensio ad ea agenda omnia, quae conseruationi alterius non repugnant 108.
C. obligationis nat. perf. atque imperf. conuenientia et differentia 110.

CON-

CONSPECTVS CAP. VII.
de obligatione externa.

Exponuntur

I. Generatim

1. notio obligationis externae 111.
2. differentia obligationis, officii, legis, iuris subiectiue et obiectiue sumti *externorum* ab *internis* 112. 113.

II. Speciatim Iuris Externi

1. terminologia seu notiones terminorum Iuris Ext. generaliorum
   - A. communium, eius scil. quod vocatur
     - a. necessarium, possibile, impossibile *legaliter*, vt et facultatis *legalis*,
     - b. obligatorium, debitum, praecetum, indifferens cet. *externe* 115.
     - c. iustum atque iniustum *externe* 116. 117.
   - B. propriorum, quo pertinet quid dicatur
     - a. laesio et iniuria 118.
     - b. suum et ius suum 119.
     - c. suum et ius suum alteri tribuere et minus tribuere 120.
     - d. proprietas
       - α. late dicta 122.
       - β. stricte, communioni opposita 25.
     - e. damnum 126.
2. finis et vis obligandi atque imputandi 129.

CON-

CONSPCTVS CAP. VIII.
de obligatione naturali perfecta qua obligatione externa.

I. Docetur

1. in genere, quomodo ad Ius N. Cogens applicari possint principia Iuris Ext.
   A. notiones et terminologia 130.
   B. propositiones generaliores ratione
      a. obligationum nat. perf. 131.
      b. iurium nat. strictorum 132.
2. in specie, quomodo inde concipiatur
   A. ius naturale defensionis 133.
   B. ius nat. securitatis 134.
   C. extensio coactionis et iuris cogendi 135, quo tamen et ius ad remedia leniora continetur 136.
   D. vis imputandi I N. stricti propria 137.
   E. coactio iusta aduersus eum, cuius factum non est imputabile 138.
   F. nouum discrimen inter Ius Nat. strictum atque Ius Nat. reliquum.

II. Adiicitur consideratio collisionis officii necessitatis

1. cum officio amoris 140.
2. cum officio ad vitam conseruandam 141. 142. 143, vnde nascitur fauor necessitatis 144. 145, cuius vsus
   A. certo respectu est naturaliter licitus 146.
   B. alio respectu tamen laesio 147.

PRO-

PROLEGOMENA IVRIS NATVRALIS

CAPVT I.

DE ACTIONIBVS HOMINIS LIBERIS.

§. 1.

Homo conſtituitur corpore organico et anima variis facultatibus inſtructa, arctiſſimo inter ſe commercio vnitis, mediante quo efficitur mirifica hominis ad edendas innumeras actiones aptitudo, et quidem ad ACTIONES tum EXTERNAS, quae ſenſu externo percipi poſſunt, tum INTERNAS, quae ita percipi nequeunt.

§. 2.

Quod vero ſpeciatim animam noſtram concernit, ipſi competit tum cognoſcendi quaedam ſeu *cognoſcitiua facultas*, tum etiam *appetitiua*, appetendi nimirum quod bonum, et hinc auerſandi, quod malum nobis videtur.

§. 3.

Harum FACVLTATVM vtraque eſt vel SVPERIOR, quatenus obiecta diſtincte cognoſcere, atque ex diſtinctis repraeſentationibus appetere quaedam aut auerſari poſſumus; vel INFERIOR, quatenus obiecta obſcure ſaltem vel confuſe cognoſcere, atque ex ideis talibus indiſtinctis appetere quaedam poſſumus aut auerſari. Facultas et cognoſcitiua et appetitiua, quae eſt inferior, nobis cum animalibus brutis eſt communis; ea vero, quam vocamus ſuperiorem, propria eſt homini, quippe brutis excluſis ipſi competens.

§. 4.

Facultas ſuperior cognoſcitiua vno verbo vocatur INTELLECTVS, quo et RATIO pertinet, hoc eſt facultas nexum rerum intelligendi;

gendi; facultas superior appetitiua dicitur VOLVNTAS, ad quam et NOLVNTAS est referenda.

§. 5.

Itaque ex intellectu pendet voluntas ea quidem ratione, vt haec ipsum praestruat, ideoque vt 1) si homo careret facultate intelligendi, etiam facultas volendi ipsi non competeret, et 2) in quocumque homine impeditur intellectus vsus, in eodem quoque voluntatis impediatur vsus. Porro clarum est, quod omnis actus facultatis appetitiuae hominis, consequenter etiam omnis actio voluntatis (volitio et nolitio) eius ex appetitu boni vel auersatione mali cuiusdam, vno verbo ex nisu hominis in sui perfectionem seu ad sese perficiendum proficiscatur, §. 2. et 4.

§. 6.

Gaudet praeterea homo facultate et ad agendum et ad non agendum sese ipsum (per principium intrinsecum) determinandi, SPONTANEITATE (arbitrio), quae facultas eius, qua entis intellectu praediti seu quatenus est SPIRITVS, vocatur LIBERTAS MENTIS

(libertas interna, liberum arbitrium, et in iure ſaepius arbitrium ſimpliciter et lubitus appellatur). Libertas mentis humanae, ſicuti etiam reliquae animae noſtrae facultates omnes, tamquam *ſpiritus finiti* facultas eſt conſideranda.

§. 7.

Actio, quae a libero hominis arbitrio dependet, ſeu in eius libertate mentis rationem ſuam ſitam habet, vocatur ACTIO hominis LIBERA (actio humana per excellentiam). Actionem liberam, ſi ea poſitiue concipitur, appellamus COMMISSIVAM (poſitiuam); ſi negatiue, OMISSIVAM (priuatiuam, negatiuam). Actio libera, quatenus tamquam ſingularis, hoc eſt ſub determinationibus ſingularibus ſeu in concreto ſpectatur, eſt FACTVM (factum liberum). Hinc factum eſt vel *factum commiſſionis* (factum ſtricte) vel *factum omiſſionis* (non-factum).

§. 8.

Quoniam igitur ſine intellectu non datur liberum arbitrium §. 6., atque hinc impedito vſu intellectus impediatur etiam vſus & actio li-

beri

beri arbitrii, consequitur, vt non nisi eius, qui vsu intellectus pollet, actio sit libera. Quoniam porro, quo aliquid actu agam, requiritur, vt illud agere physice possim, seu vt id agere *in potestate mea* sit positum, seu vt viribus ad id agendum sufficientibus instructus sim; euidens est, id quod agere physice non possum, qua tale haud pendere ex libero meo arbitrio, ideoque nec tamquam actionem meam liberam spectari posse. Immo nec nisi illud libere a me agitur, quod aeque ad committendum ac ad omittendum determinare physice possum §. 6, seu quod agere simul cum opposito est in potestate mea. Quamobrem quidquid physice impossibile est (vel simpliciter vel secundum quid), & omnis ACTIO PHYSICE NECESSARIA, cuius oppositum est extra potestatem (simpliciter vel secundum quid) agentis, quo & referuntur *actiones mere naturales*; si per se spectantur, in numero liberarum actionum haberi non possunt.

In *actionibus liberis* potissimum *commissiuis* et *externis*, quae externe sunt sensibiles §. 1., consequenter motu organorum corporis perficiuntur, distingui potest actus, quo determinamus, an

agendum vtrum minus agendum; ab actu, quo id quod determinatum, actuali vſu facultatum noſtrarum peragitur ſeu *actuatur*, ſpeciatim in actionibus externis, ab eo motu organorum corporis, mediante quo perficimus, quod determinatum. Hinc abſtractione logica diuiditur actio libera in *liberam ratione determinationis* et *ratione exſecutionis*. Quum igitur ad actionem liberam requiratur, vt vna cum oppoſito ſuo ſit in poteſtate agentis; ſequitur, vt ad actionem et ratione determinationis et ratione exſecutionis liberam requiratur, vt in poteſtate agentis ſit, tum determinare, vt agatur pariter atque vt non agatur; tum etiam & exſequi et non exſequi, quod determinatum eſt.

§. 9.

Omnes actiones voluntatis noſtrae accenſeri poſſunt actionibus liberis, quatenus nulla exſtat noſtra volitio vel nolitio, quae ita a libero noſtro arbitrio reperiatur independens, vt ab eo nullatenus dirigi poſſit. Anima igitur humana in volendo et nolendo eſt libera. Praeterea vero etiam multas actiones reliquarum animae noſtrae facultatum, plures corporis noſtri motus, immo et ipſas nonnumquam paſſiones, mediate certe et per indirectum libero noſtro arbitrio ſubeſſe experimur, atque ideo ad actiones noſtras liberas recte meritoque referre poſſumus.

1. Quam-

1. Quamuis igitur *actio voluntatis* et *actio libera* idealiter differant: tamen, quum omnis nostrae voluntatis actio reapse indiuulso nexu cum libera actione sit coniuncta, libertasque mentis potissimum atque directo et immediate in volitionibus et nolitionibus nostris sit conspicua; factum est, vt a pluribus haberentur pro synonimis, vtque ea, quae proprie ex actione qua libera deducenda sunt, simpliciter de voluntatis actione adstruerentur. Apud Iurisconsultos certe, in quorum disciplinis omne fert punctum actio libera et libertas mentis, horum terminorum nulla fere mentio iniicitur, eo frequentius vero de voluntate et consensu tamquam actionum voluntatis specie sermo datur. Neque nocebit, cum ICtis loqui, dummodo cum Philosophis sentiamus.

2. Quatenus ex libertate animae humanae pendent reliquarum facultatum eiusdem actiones, ipsi in eas et *in semet ipsam imperium* tribuitur, quod consistit in facultate animae humanae, libere nunc huius nunc illius facultatis actiones producendi, nunc earum producendi oppositum: et ex simili ratione animae nostrae *in corpus nostrum regimen* tribuitur.

§. 10.

Complexus determinationum entis, quae posita eius existentia ponuntur, dicitur entis NATVRA, quae igitur in essentia et viribus entis iun-

etim ſumtis conſiſtit. Quamobrem ad hominis naturam pertinet eius corpus organicum, anima intellectu praedita et rationalis, vtriusque arctiſſimum commercium §. 1., facultates animae, praeprimis mentis libertas §. 6. Pertinet huc quoque niſus, qui homini eſſentialiter ineſt, ad ſe perficiendum §. 5, hinc ad bonum obtinendum, & conſequenter etiam ad malum repellendum effugiendumque. Quidquid in natura hominis rationem ſitam habet, illud homini eſt NATVRALE. Natura hominis generica, hoc eſt, quae omnibus hominibus eſt communis, HVMANITAS (prima naturae humanae) appellatur. Quidquid igitur homini, qua tali competit, illud ipſi eſt naturale atque pertinet ad humanitatem.

CAPVT

CAPVT II.

DE

OBLIGATIONE.

§. 11.

Repraesentatio boni cuiusdam, quod quis obtinere intendit, seu quod quis habet pro fine, est CAVSSA IMPVLSIVA: eaque repraesentatio, si est distincta, MOTIVVM dicitur; sin minus, seu si tantummodo est obscura vel confusa, STIMVLVS. Refertur vero ad caussas impulsiuas etiam repraesentatio mali, quod quis effugere intendit, quippe euitatio mali tamquam bonum negatiuum spectari potest. Pone tibi motiuum aliquod, pones, ob insitum tibi nisum in tui perfectionem, impulsum seu nisum ad agendum conformiter dato motiuo, ideoque senties necessitatem quamdam agendi; sed senties simul, oppositum talis actionis nihilominus etiam esse in tua potestate. Itaque actio ex tali necessitate producta tamen perstat libera, consequenter non est physice necessaria §. 8., atque inde vocatur *moraliter necessaria*, et ipsa illa necessi-

tas appellatur moralis. Ea igitur, quae ex certo motiuo oritur neceſſitas determinandi actionem liberam, eſt NECESSITAS MORALIS *latius dicta.* Atque ideo patet, neceſſitatem moralem, quamuis aliquo modo libertatis exercitium reſtringat, libertatem tamen non tollere.

§. 12.

Quum vero illud bonum, cuius repraeſentatio in omni motiuo continetur, vel tale ſit, vel non ſit, ſed agenti dumtaxat videatur eſſe: neceſſitatis inde moralis duplex intelligitur eſſe ſpecies, altera quae ex veri boni, altera quae ex apparentis boni repraeſentatione exoritur. Neceſſitas moralis, quae ex repraeſentatione veri boni naſcitur, vocatur OBLIGATIO (paſſiua). Quoniam igitur contendere ad verum bonum conſentiat cum natura humana §. 10. atque hinc cum recta ratione, ſequitur, vt omnis obligatio hominis e *fine rationali*, hoc eſt rectae rationi conſentaneo profluat.

Vocatur haec *obligatio paſſiua*, quatenus haec notio refertur ad eum, qui *obligatur*, ſeu cui talis neceſſitas moralis incumbit. Quod ſi vero eamdem

eamdem conſiderare velis in relatione ad eum qui *obligat*, ſeu qui imponit talem agendi neceſſitatem, habebis *obligationem actiuam*. In eo itaque, cuius actioni liberae nectitur motiuum aliquod, deprehenditur *obligatio paſſiua*, *actiua* contra in illo, qui tale motiuum actioni alicuius liberae nectit. Vnde intelligitur, *notionem obligationis*, qua abſtrahitur ab vtraque relatione, generatim in eo conſiſtere, quod ſit nexus motiui cum actione libera, quae igitur definitio vtramque obligationis relationem ſub ſe comprehendit. Dubia contra hanc definitionem, quae LEIBNITIO et WOLFIO debetur, monent BARBEYRAC in *notis* ad Gallicam edit. PVFENDORFFII *Iur. N.* et *Gent.*, atque TREUER in *annotatis* ad eumdem de *officio Hom.* & *Ciu.* cap. II. §. 5. p. 53. Defenſionem vero eiusdem ſuscepit DE VATTEL in libello: *Loiſir Philoſophique* à Geneve 1747. 8.

§. 13.

Propoſitio (regula ſeu norma actionum liberarum) obligationem enuncians eſt LEX MORALIS *latius* dicta, et in ſphaera obligationum, vbi nimirum de actionibus liberis ad certum finem rationalem dirigendis eſt ſermo, LEX *ſimpliciter* appellatur. Quamobrem leges omnes conſiſtant neceſſe eſt in propoſitionibus, ſecundum

dum quas dirigere (determinare) actiones ſuas liberas aliquis obligatur.

§. 14.

Obligatio & lex requirit 1) *actionem liberam* ſubiecti obligati, ſeu eius qui obligationi & legi cuidam ſubeſt §. 11. 12. Ergo in ea, quae ſunt phyſice impoſſibilia vel ratione determinationis vel ſaltem ratione exſecutionis §. 8. *not.*, in ea, quae ſunt phyſice neceſſaria, in actiones mere naturales, in eum, qui vſu intellectus deſtituitur §. 8. non cadit obligatio. Ergo *vltra poſſe* (phyſice) *nemo obligatur*. Quisquis obligatur, obligatur ſaltem ad tantum ſeu non ad plus quam quantum poteſt. In obligationibus, quae ad gradum indefinitum protenduntur, nec *ad plus* nec *ad minus* obligamur, quam *quantum poſſumus*.

§. 15.

Porro requirit 2) *bonum quoddam* non tantummodo viſum, ſed ſimul verum, tamquam finem ſubiecti obligati, mediante actione ſua libera obtinendum §. 12., ideoque tamquam actionis ſuae conſectarium. Si qua igitur obligatio vide-

tur

tur proficiſci ex repraeſentatione alicuius obiecti tamquam boni, quod tamen bonum non eſt, hoc eſt quod per errorem pro bono habetur; ea *obligatio* nec ipſa eſt vera ſed *ſpuria* (erronea, imaginaria, fictitia, opinata). Ad conſectaria bona etiam referenda mali euitatio §. 10.

§. 16.

Deinde 3) requirit, vt is qui obligatur, *diſtincte cognoſcat*, tum *quid* ſibi agendum commiſſiue vel omiſſiue, tum *cur* ita nec aliter agendum §. 12. Ergo *ad ignorata*, ſi per ſe ſpectantur, *nemo* obligatur, et *vltra ſcire nemo tenetur.* Et haec cognitio obligati ſupponitur in abſtracto vt diſtincta, vt motiuum, quia in obligatione ſupponitur homo vſu intellectus pollens §. 4., ideoque excluditur merus ſtimulus, quale agendi principium brutis eſt proprium obligationum neſciis; non vero excluditur cognitio, quae ex parte eſt indiſtincta, nec conſequenter motiuum, quod ſtimulo eſt admixtum, vnde in concreto gradus diſtinctae cognitionis reperiuntur varii.

Quemadmodum omnis cognitio diſtincta hominum, tamquam ſpirituum finitorum, aliquid obſcuri-

ſcuritatis vel confuſionis in ſe continet: ita contra ea homo vſu intellectus inſtructus, quidquid libere agit, quamuis ex cauſſa impulſiua, quae maximam partem eſt ſtimulus, agat; tamen non ex mero ſtimulo, cui nihil omnino diſtinctae inſit repraeſentationis, agere cenſendus eſt.

§. 17.

Denique 5) requirit, vt eadem cognitio *praecedat ipſam actionem* et eius exſecutionem: quippe actio libera, quatenus obligationi ſubeſſe concipitur, eſt cauſſae liberae effectus. Eatenus obligatio *non cadit* niſi in *actiones futuras*, ideoque factis praeteritis, qua talibus, obligatio imponi nequit, quae vel ea propter, quod facta infecta fieri nequeant, pertinent ad phyſice impoſſibilia, obligationem reſpuentia §. 14.

§. 18.

Quoniam poſito connexorum vno ponatur et alterum neceſſe eſt; patet, eum qui obligatur ad certum finem conſequendum, obligari etiam ad ea, quae ad hunc finem obtinendum ſunt neceſſaria, hinc ad eius *remedia adhibenda* atque *impedimenta remouenda*, quantum poteſt §. 14.

§. 19.

§. 19.

Posita actione libera ponitur duorum oppositorum vtrumque in agentis esse potestate et agere et non agere §. 8. posita vero obligatione ponitur necessitas moralis determinandi horum oppositorum alterutrum §. 11; ergo obligatio alia est ad ACTIONEM LIBERAM actuandam, COMMITTENDAM; alia ad eam non actuandam, OMITTENDAM: prior OBLIGATIO dicitur ADFIRMATIVA, posterior NEGATIVA. LEX obligans adfirmatiue est PRAECEPTIVA (praecipiens, aiens, praeceptum), LEX obligans negatiue est PROHIBITIVA (vetans, negans, prohibitum, vetitum).

Iam ratio patescit, cur *actio libera* in commissiuam et omissiuam, et hinc factum liberum et in factum et non-factum dispescatur §. 7. Nempe omisso actionis liberae et τὸ non agere, non facere, cogitari potest tamquam actio libera et factum liberum, quatenus est libertatis rationatum, et quatenus consistit in non-vsu facultatum nostrarum a libero nostro arbitrio dependente. Quare posita obligatione ad aliquid committendum, non tantum id, quod obligationi conuenienter committis, est factum tuum liberum; sed etiam id, quod contra obligationem omittis, quum omit-

omittere et committere aeque per ſe ſteterit. Atque eatenus non-vſus virium corporis, voluntatis, intellectus; quum aliquid externi peragere, velle, intelligere per libertatem potuiſſes, ad facta tua libera pertinet, ſiue ceterum hanc omiſſionem actu determinaueris libere, ſiue eam ſaltem obligationi conformiter per libertatem determinare potuiſſes.

§. 20.

Medium conſtituendi obligationem et legem in eo generatim conſiſtit, vt cum actione alicuius libere perpetranda connectatur conſectarium aliquod bonum vel malum, illudque ei, cui imponenda eſt obligatio, ita proponatur ſeu repraeſentetur, vt illud cognoſcere, antequam agat ſeu *praeuidere* poſſit, vnde neceſſitabitur moraliter, conformiter propoſito conſectario actionem liberam dirigere: propoſito ſcilicet conſectario vel bono, quod ſperat, vel malo, quod metuit. Eatenus admitti poteſt, *medium obligandi* omne in *ſpe* vel *metu* propoſito conſiſtere.

Speciatim vero 1) *obligatio adfirmatiua* efficitur, nectendo conſectarium vel bonum cum commiſſione actionis tantum, vel malum cum eius omiſſione tantum *diſiunctiue*; vel bonum cum com-

commiſſione et malum cum omiſſione actionis ſimul, *copulatiue*: 2) *obligatio negatiua* nectendo conſectarium vel bonum cum omiſſione tantum, vel malum cum commiſſione actionis tantum, *disiunctiue*; vel vtrumque ſimul, *copulatiue*.

§. 21.

Quo plura, quo maiora bona vel mala conſectaria, quo maiori gradu cum certa actione libera ſunt connexa, ſeu quo difficilius conſectaria ab actione ipſa ſeiungi poſſunt, quo magis copulatiue bona et mala cum vtraque oppoſitarum actionum ſunt connexa; eo *maior* (fortior) eſt *obligatio* et *lex*: quo ex aduerſo pauciora, quo minora bona vel mala, quo minori gradu cum certa actione libera, quo minus copulatiue bona et mala cum vtraque oppoſitarum actionum ſunt connexa; eo *minor* (debilior) eſt *lex* et *obligatio*.

§. 22.

Si te pono, tamquam hominem vſu intellectus pollentem: negare nequis, te non tantum modo ob libertatem mentis tuae obligationis eſſe capacem, ſed etiam actu obligari in pluribus:

BIBLIOTEKA EIHEIA
BIBLIOTEKA W TORUNIU UNIWERSYTECKA

actionibus tuis liberis, in iis ſcilicet, ex quibus naſcitura tibi conſectaria bona vel mala praeuidere potes §. 11. et 12. Ergo *exiſtit obligatio* aliqua tibi incumbens.

§. 23.

Quum porro ſine vero bono, quod quis ſibi repraeſentat tamquam finem, mediante actione ſua libera obtinendum non detur obligatio §. 15: conſequens eſt, vt omnis obligationis, quae in hominem cadere poteſt, 1) *principium fiendi* (exiſtentiae) ſit verum bonum, tale nimirum, quale ad producendam obligationem requiri diximus §. 11; 2) *principium cognoſcendi* (ſi illud tamquam propoſitio concipitur, quale principium cognoſcendi vocare *complexum* ſolent), ſit haec propoſitio: *perfice te*. Itaque propoſitio haec eſt obligationum quarumuis *principium* cognoſcendi *vniuerſale* et *primum*, atque *centrum* quaſi et *focus* earumdem.

§. 24.

PERFICE TE: ergo quaere bona, fuge mala §. 5; adhibe remedia, remoue impedimenta

menta perfectionis tuae §. 18; conserua perfectiones tuas, conserua te.

Persice te, quantum potes §. 14: ergo quaere melius, intensiue, extensiue et protensiue tale, fuge peius; quaere prae ceteris optimum, fuge prae ceteris pessimum; auge, amplifica, corrobora perfectiones tuas, quaere FELICITATEM tuam, hoc est perfectionum tibi conuenientium summam, tum INTERNAM (beatitudinem), animae tuae; tum EXTERNAM (prosperitatem), corporis et status tui externi; fuge, quae perfectiones tuas imminuere, extenuare et debilitare possunt; fuge *infelicitatem* tuam, tum *internam*, animae tuae; tum *externam* (miseriam), corporis statusque tui externi.

Quaere melius: ergo praefer bonum maius minori, et inuersa vice malum minus maiori, hoc est obtentionem boni maioris obtentioni boni minoris, et euitationem mali maioris euitationi mali minoris; praefer bonum positiuum maius bono negatiuo minori et bonum negatiuum maius bono positiuo minori, hoc est praefer obtentionem boni, quod maiorem tibi tribuit perfe-

ctionem euitationi mali, quod minorem perfectionem tibi aufert, boni ſcilicet, cuius perfectio, quae eo obtento in te ponitur, maior eſt ea perfectione, quae ex malo inflicto in te remouetur, et ſic etiam vice verſa.

§. 25.

Qui obligationi et legi, cui ſubeſt, agit conformiter, is OBLIGATIONI ſuae et LEGI SATISFACIT, LEGEM SERVAT (obſeruat); qui vero minus conformiter agit, OBLIGATIONEM et LEGEM NEGLIGIT. Si pluribus legibus in caſu emergente ſimul ſatisfieri nequit, adeſt LEGVM COLLISIO (pugna, conflictus), impoſſibilitas ſeruandi ſimul plures leges. Quamobrem quo hoc caſu vni legi ſatisfiat, neceſſe eſt, vt altera negligatur. Neglectio legis, quatenus cum altera pugnat, eſt EXCEPTIO A LEGE, et ea legum pugnantium, cui ſatisfaciendum, VINCERE; altera, a qua excipiendum, CEDERE ipſi dicitur. Atque haec et de obligationibus praedicari poſſe, per ſe patet. Quum obligemur ad nos perficiendos quantum poſſumus, et hinc ad praeferendum melius §. 24.;

con-

consequens est, vt in collisione legum et obligationum vincat fortior, et ipsi cedat debilior lex et obligatio. *Quaere melius*: ergo in *collisione legum obserua fortiorem et neglige debiliorem* seu *praefer fortiorem debiliori*, quae propositio est *lex vniuersalis exceptionis in collisione obligationum* et *legum fortiorum cum debilioribus*.

§. 26.

Actio libera si refertur ad certum legum genus, vel nulli vel alicui earumdem est contraria: illa ACTIO vocatur (quoad datum scilicet legum genus) ILLICITA, haec LICITA. Porro licita vel a nulla vel ab aliqua harum legum est determinata: illa dicitur ACTIO INDIFFERENS (permissa), haec OBLIGATORIA. Vnde liquet, actionem indifferentem licitam esse seu committatur seu omittatur: contra vero ea actionem obligatoriam eam, quae licite committitur, omitti illicite; quae omittitur licite, illicite committi. Actio legi cuiusdam generis omnimode conformis est ACTIO RECTA, non conformis MINVS RECTA in data nimirum legum sphaera.

CAPVT III.

DE

IMPVTATIONE.

§. 27.

Si ex facto alicuius libero nascitur consectarium bonum vel malum, quod ex eo exstiturum praeuidere agens physice potuit: libero eius arbitrio tribuendum est et factum tale & eiusdem consectarium, indeque is agens vocatur et facti et consectarii talis CAVSSA LIBERA seu AVCTOR; et iudicium illud, quo aliquis facti et propterea etiam consectarii eiusdem auctor affirmatur, IMPVTATIO appellatur, quae igitur in eo actu consistit, quo factum aliquod eiusdemque consectarium alicuius libero arbitrio attribuitur.

§. 28.

Is, cuius arbitrio libero tribui potest consectarium aliquod facti sui, consectarium illud MERERI dicitur: atque inde ipsum consectarium facti liberi, quatenus rationem suam sitam habet

habet in agentis libero arbitrio, appellatur MERITVM *in genere*, quod eſt vel bonum, PRAEMIVM (meritum *in ſpecie*); vel malum, POENA (demeritum). Imputatio itaque eſt iudicium, quo alicui tribuitur factum liberum eiusque meritum, et datur *imputatio in praemium*, datur *in poenam*.

§. 29.

Conſectarium bonum vel malum certae actionis liberae, quod agens praeuidere poteſt, efficit neceſſitatem moralem, obligationem, legem §. 22: ergo imputatio inuoluit factum liberum et legem, ideoque continet concluſionem ex 1) facto libero et 2) ex lege. Vnde elucet, imputationem eſſe applicationem legis ad factum. Hinc IMPVTABILE eſt FACTVM, quod alicui tribui tamquam auctori et ſimul ſub certa lege ſubſumi poteſt, atque in hac facti alicuius affectione conſiſtit eius *imputabilitas* (imputatiuitas).

Itaque imputatio abſtractione logica in duo actus, duo iudicia affirmatiua diſpeſci poteſt: alterum, quo alicui tribuitur factum aliquod li-

berum, ſcu quo quis facti cuiusdam auctor affirmatur; alterum, quo ipſi tribuitur meritum facti ſui, ſeu conſectarium, a lege quadam cum tali facto libero copulatum. Iudicium prius *imputationem facti*, poſterius *imputationem iuris* (legis) appellare ſolent.

§. 30.

Quum in omni imputatione ratiocinium contineatur §. *praec.*: conſequitur, vt ad imputationem veri nominis eadem requirantur, quae ad verum ſyllogismum ſunt neceſſaria; ideoque requiratur, vt ſyllogismus imputatorius ſit verus tum quoad materiam ſeu principia, tum etiam quoad formam ſeu modum concludendi.

§. 31.

Materia ratiocinii imputatorii conſiſtit 1) in *facto libero*, vnde efficitur huius ſyllogismi propoſitio minor. Factum hocce quo ſit verum, requiritur, vt a) aliquid factum ſit ſiue commiſſiue ſiue omiſſiue §. 7; b) ab eo, cui attribuitur. Nemini ergo quod mero *caſu* fit, et nemini *factum alienum*, qua tale, eſt imputabile; c) tamquam auctori. Ea itaque, quae omittuntur ex mera agendi impotentia, vel deficiente

caſua-

casuali *occasione*, hoc est concursu circumstantiarum ad aliquid faciendum necessariarum; quatenus sunt talia, imputari nequeunt.

Possunt vero & plures simul esse alicuius facti auctor, quorum hinc singulus est *concaussa* facti *libera*. Pertinent huc, quicumque ad factum alterius *concurrunt*, hoc est qui suo facto libero ad actualitatem illius aliquid conferunt. Fieri itaque potest, vt factum alienum, ad quod tu concurris, tibi etiam recte imputetur. Particeps facti est particeps imputationis ceteris paribus.

§. 32.

Materia ratiocinii imputatorii consistit 2) in *lege*, vnde enascitur syllogismi imputatorii propositio maior. Lex itaque vera adsit, necesse est, vt ad factum quoddam applicari, consequenter vt vere aliquid imputari possit. Quamobrem a) deficiente lege deficit facti imputatiuitas §. 29, et b) pro diuerso legum genere idem factum tum magis aut minus imputabile, tum imputabile ant non imputabile, denique imputabile in poenam vel in praemium esse potest.

§. 33.

Forma ſyllogismi imputatorii requirit, vt datum factum liberum ſit caſus datae legis, id eſt, vt contineatur ſub lege tamquam propoſitio inferior ſub propoſitione ſua ſuperiori, ideoque vt legi ſubſit tum quoad praedicatum, factum; tum quoad ſubiectum, auctorem facti.

Quamobrem, ſi quid horum requiſitorum vel quoad materiam vel quoad formam in ratiocinio imputatorio deficit, corruere imputatio intelligitur.

§. 34.

Actio obligationi et legi contraria ſeu eius neglectio §. 25. dicitur etiam *latiori ſignificatu* VIOLATIO OBLIGATIONIS et LEGIS, et TRANSGRESSIO LEGIS (anomia). Quamobrem omnis legis transgreſſio ponat factum minus rectum neceſſe eſt §. 26, ideoque tale factum, in quo defectus quidam rectitudinis, qualisdemumcumque ille ſit, deprehenditur. Enimuero talem rectitudinis defectum agens ſupplere vel phyſice potuit vel non potuit, prior DEFECTVS rectitudinis facti dicitur VINCIBILIS (phyſice), poſterior INVINCIBILIS.

Quum

Quum inuincibilis R. F. defectus imputari nequeat §. 14; is tantummodo defectus rectitudinis, qui eſt vincibilis, erit in poenam imputabilis.

§. 35.

Defectus rectitudinis facti vincibilis vocatur REATVS (culpa *latius*), atque inde tum *transgreſſio legis* et *violatio obligationis* diuiditur in *culpabilem* (culpoſam, inexcuſabilem, transgreſſionem legis et violationem obligationis *ſtrictius* dictam), atque in *inculpabilem* (inculpatam, excuſabilem); tum et ipſum *factum minus rectum* in *culpoſum* et *inculpatum* diſpeſcitur. Quare non niſi ea legis transgreſſio et violatio obligationis, quae eſt culpabilis, imputari in poenam poteſt. Vnde etiam intelligitur, imputabile in poenam non eſſe niſi id, cuius contrarium facere et *debuit* (obligatus eſt) et *potuit* (phyſice) agens; quatenus vero et in quantum contrarium facere aliquis debuit et potuit, eatenus et in tantum factum eius minus rectum ipſi in poenam recte imputari.

§. 36.

§. 36.

Reatus, cuius agens in agendo sibi est conscius, DOLVS (dolus malus) vocatur, cuius autem conscius non est, CVLPA *strictius*. Hinc etiam *transgressio legis* et *obligationis violatio*, ea quae *culpabilis* latius dicta et imputabilis est, vel *dolosa* est vel *culpabilis strictius*; et *factum*, cui reatus inest, vel *dolosum* vel *culposum* est; atque ideo ipse *agens* legis transgressor, in reatu constitutus seu *reus*, vel *dolosus* vel *culposus* appellatur. Dolosus violat legem sciens et hinc, quatenus nempe illam distincte cognoscere censendus est §. 16. *not.* volens; culposus haud aeque: sed quamuis in ipso actu inscius sit sui reatus; tamen sufficit ad culpam tuam, id non nosse, quod nosse et potueras et debueras §. *praec.*

§. 37.

Doli species praecipua est reatus, cum proposito (decreto, animo) violandi legem coniunctus: qui itaque praelucente intellectu et decernente voluntate est in reatu, doli reus est. Ad culpam referenda ea facta minus recta omnia, quae proficiscuntur ex ignorantia, errore et reliquis

liquis intellectus humani defectibus, quos ſuperare agens debuit et potuit. E contrario autem qui ex ignorantia, errore cet. agit, vel inuincibili, vel ad quam vincendam non tenetur, culpae reus haud eſt. Atque eatenus ignorantia vel error non nocent ignoranti vel erranti, hoc eſt imputari ipſi nequeunt.

§. 38.

Si lex quaedam poſtulat factum commiſſiuum, requirit vſum facultatum (virium) noſtrarum legi conformem, quantum poſſumus: ergo hoc caſu non-vſus facultatum noſtrarum, quibus vti potueramus, vel non tantus vſus, quantus per nos ſteterat, multo magis vſus earumdem in contrarium in poenam eſt imputabilis. Vſus facultatum noſtrarum in iis, ſeu commiſſio eorum, quae certo fine facienda ſunt, dicitur DILIGENTIA; omiſſio culpoſa diligentiae debitae, NEGLIGENTIA; vſus facultatum noſtrarum legi contrarius eſt earumdem ABVSVS. Quamobrem omnis negligentia, et omnis facultatum noſtrarum abuſus, quibus etiam non abuti poteramus, in poenam eſt imputabilis.

Non-

Non-vſus virium, vſus earumdem debito minor et abuſus, quatenus cum reatu ſunt coniuncti, pro diuerſis circumſtantiis ad facta culpoſa vel doloſa pertinere poſſunt.

§. 39.

Generatim actiones legi contrariae, non niſi quatenus ſunt liberae, in poenam imputari poſſunt. Ergo nec omiſſio eius, quod lex praecipit, niſi libera; nec commiſſio eius, quod lex prohibet, niſi libera eſt imputabilis. Quum vero plures reperiantur actiones hominum, quae immediate quidem et per ſe ſpectatae non ſint liberae, mediate vero et per indirectum omnino ad liberas pertineant §. 9; negari nequit, dari actiones per ſe non liberas, quae tamen ſunt imputabiles. Huc pertinet omiſſio actionis praeceptae ex *agendi impotentia* culpa contracta. Atque inde deciſio petenda, quatenus actiones *ebrii*, *dormientis*, *aegroti*, *iracundi*, aut *alio adfectu perturbati* vel ex *habitu* et *conſuetudine* agentis imputationi ſint obnoxiae.

§. 40.

§. 40.

Quum omnes actiones voluntatis nostrae liberis accenseantur § 9, sequitur, vt et actiones inuitae dentur, quae imputari in poenam possint §. 39: quippe ACTIO INVITA est actio voluntatis, sed talis, cuius oppositum agere agens maluisset, modo aliquod malum ex actione opposita emergens euitare potuisset. Ad actiones inuitas pertinent, quae quis *metu* ab altero incusso permotus agit.

§. 41.

Quoniam tum obligationes atque leges §. 21. tum actiones liberae, tum denique ipsa conuenientia pariter atque disconuenientia actionum cum obligatione & lege gradus admittant; sequitur, vt etiam factorum imputatiuitas gradus admittat, ideoque alterius facti maior, alterius minor sit imputatiuitas.

§. 42.

Posita lege ponitur 1) obligatio ad actionem aliquam liberam certo modo dirigendam §. 13, 2) imputatiuitas facti, quod obligationi

tali

tali conformiter vel disconuenienter directum est §. 29. Hinc duplex cuilibet legi tribui potest *virtus* seu vis, 1) *obligandi* sub spe boni vel metu mali consectarii, 2) *imputandi*, attribuendo illud bonum vel malum consectarium, quod cum tali facto per legem copulatum est.

CAPVT IV.

DE

OBLIGATIONE MORALI.

§. 43.

Obligatio hominis ad agendum conformiter voluntati diuinae, est OBLIGATIO hominis MORALIS (obligatio conscientiae), atque hinc propositio, talem obligationem enuncians LEX MORALIS *strictius* (§. 13.) et in nostra sphaera *simpliciter* dicitur. Quamobrem omnis lex moralis agit de attemperandis ad voluntatem diuinam actionibus nostris liberis, continet voluntatem Dei circa ea, quae ab homine committenda vel omittenda sunt, est norma actionum

num liberarum, ad quam Deus nos obligat §. 12. *not.*; et lex, cuius auctor eſt Deus, vnde leges morales etiam dicuntur *leges Diuinae.*

§. 44.

Quidquid propter Diuinam voluntatem (ob legem Diuinam, ſeu in hunc finem, quo obligationi noſtrae erga Diuinum Numen ſatisfiat), vt libere agamus, eſt neceſſarium, aut impoſſibile aut poſſibile; illud vocatur *moraliter neceſſarium, moraliter impoſſibile*, *moraliter poſſibile*, *ſignificatu ſtrictiori* §. 11, immo in ſphaera legum moralium *ſimpliciter* ita appellatur. Itaque per leges morales actiones humanae aliae moraliter neceſſariae euadunt, aliae moraliter impoſſibiles aut moraliter poſſibiles. Facultas phyſica, nulli legum moralium contraria, ſeu quatenus nulla lege morali reſtringitur, eſt FACVLTAS MORALIS, & vno verbo IVS appellatur *ſenſu latiori* et *obiectiue* ſumtum.

§. 45.

Quum 1) ad eius, quod moraliter impoſſibile eſt, oppoſitum obligemur §. 44; patet,

nos ad id, quod moraliter eſt impoſſibile, non moraliter obligari. Ergo *vltra poſſe tam phyſice* §. 14. *quam moraliter nemo obligatur* (moraliter); nec igitur obligamur, niſi quantum poſſumus et phyſice et moraliter, ſeu quod idem eſt, eatenus dumtaxat obligamur, quatenus non obſtat impedimentum phyſicum nec morale. Quum porro 2) id, quod eſt neceſſarium, non poſſit non eſſe poſſibile; ſequitur vt, ad quamcumque actionem ponitur moralis obligatio, ad eamdem etiam competat facultas moralis §. 44. Denique 3) quum poſita obligatione ad aliquid ponatur etiam obligatio ad eius connexa §. 18, et poſita obligatione morali ad aliquid, ponatur ad idem facultas moralis; clarum eſt, ei, qui moraliter obligatur ad finem aliquem, competere ſimul facultatem moralem in ea, quae ad hunc finem conſequendum requiruntur, ſeu in ea, ſine quibus obligationi ſuae ſatisfacere nequit, ideoque facultatem moralem, adhibendi eius media et remouendi impedimenta, quatenus haec *per ſe* et *abſolute* conſiderantur.

§. 46.

§. 46.

Actio hominis libera ad leges Dei relata si nulli earumdem repugnat, erit *moraliter licita*; si contra alicui earumdem aduersatur, *moraliter illicita*, quae et vocatur ACTIO hominis MORALITER MALA (praua) et vno verbo PECCATVM. Quodsi actio moraliter licita a nulla lege Diuina est determinata, *moraliter indifferens* (moraliter permissa) erit; si vero ab earumdem aliqua est determinata, *moraliter obligatoria* §. 26.

Actio lege Diuina determinata, quatenus eidem est conformis, vocatur ACTIO hominis MORALITER BONA: in genere autem actio hominis, quae lege quadam Diuina est determinata, seu quae non est moraliter indifferens, dicitur ACTIO hominis MORALIS, siue sit determinata ad committendum hoc est *moraliter praecepta*, siue ad omittendum hoc est *moraliter prohibita*. Vnde elucet, actionem moralem esse actionem vel bonam vel malam moraliter, atque in hac actionum bonitate vel prauitate consistere earumdem *moralitatem*.

§. 47.

Actio legi morali conformis, quatenus ad eam legi tali conformandam obligamur, vocatur ACTIO MORALITER DEBITA (moraliter iussa), vno verbo OFFICIVM MORALE (conscientiae); habitus vero hominis, atque speciatim promptitudo eius intensior in componendis ad voluntatem Diuinam actionibus suis, est eius VIRTVS (moralis). Virtus alicuius, quatenus de ea alteri constat, est eius PROBITAS, vnde, quatenus virtuti deditus dicatur *probus*, intelligitur.

§. 48.

Ex his, quae dicta sunt, liquet, 1) quidquid ab homine libere agitur, id omne in relatione ad leges Diuinas esse vel moraliter debitum, vel moraliter illicitum vel moraliter permissum; 2) actiones moraliter bonas, moraliter praeceptas, moraliter debitas, officia moralia, virtutemque omnem pertinere ad ea, quae sunt *moraliter necessaria*; e contrario autem 3) actiones prauas et moraliter prohibitas, vna cum peccatis omnibus referri debere ad ea, quae sunt

mora-

moraliter impossibilia; denique 4) actiones moraliter iussas, moraliter permissas et indifferentes atque officia moralia quaecumque pertinere ad ea, quae sunt *moraliter possibilia* §. 44. 47. 47.

CAPVT V.

DE

OBLIGATIONE NATVRALI.

§. 49.

Obligatio moralis, quam homo ex principiis philosophicis cognoscere potest, vocatur OBLIGATIO NATVRALIS. Quare quum ad principia philosophica pertineat rerum natura, essentia, primus conceptus, immo in vniuersum omne id, ad cuius cognitionem ope solius rationis peruenire possumus; consequens est, vt ea moralis obligatio omnis sit naturalis, quam homo ex essentia et natura sua, ex notione de Deo philosophica, ex naturali rerum huius vniuersi

indole, ex primo conceptu actionum humanarum cognoſcere, colligere, demonſtrare; quam ſine ſpeciali reuelatione Diuini Numinis, ſine fide intelligere poteſt; atque ad quam perſpiciendam ſola ratio ſeu lumen rectae rationis ſufficit.

OBLIGATIO MORALIS, quae naturali opponitur, POSITIVA dicitur, qualis igitur eſt omnis, quam homo ex principiis philoſophicis, quam ſine ſpeciali Dei reuelatione, quam ſolo rationis lumine cognoſcere non valet.

Generaliori ſignificatu OBLIGATIO NATVRALIS, ſi ad ſolum vocabuli: *naturalis*, etymon attenderis, vocari poteſt, immo a WOLFIO aliisque actu vocatur ea obligatio omnis, quae ex principiis philoſophicis eſt intelligibilis, ſiue illa ſit moralis ſeu minus; ſed quantum iſta notio a ſcopo Iuris Naturalis aberret, ſubſequentibus intellectis facile erit ad animaduertendum.

§. 50.

Ex hac obligationis naturalis notione colligimus, LEGES NATVRALES conſiſtere in propoſitionibus obligationem naturalem enunciantibus §. 13. Ergo lex naturalis eſt lex moralis ſeu Diuina, ex principiis philoſophicis cognoſcibi-

ſcibilis, eſt propoſitio, ſecundum quam ob voluntatem Diuinam, quatenus eam ſola ratione cognoſcere poſſumus, actiones noſtras dirigere obligamur §. 43. et 49.

Leges Diuinae, quae non ſunt naturales, appellantur LEGES DIVINAE POSITIVAE, quae igitur comprehendunt tales leges morales, quarum obligationem homo ex ſpeciali demum Dei reuelatione cognoſcere poteſt.

Qui obligationem naturalem generaliori ſenſu §. 49. *not.* vſurpant, inde etiam LEGIS NATVRALIS *notionem* ſibi effingant *generaliorem* neceſſe eſt.

§. 51.

Scientia legum naturalium appellatur IVS NATVRALE *latius* et *obiectiue* ſumtum, frequenter tamen etiam denotat ipſas leges naturales in complexu ſumtas. Quoniam igitur in Iure Naturali ex principiis philoſophicis deducuntur aliae veritates vniuerſales, haec ſcientia eſt *pars philoſophiae*; et quoniam in ſtabiliendis actionum liberarum regulis occupatur, eſt *pars philoſophiae practicae*, ſpeciatimque, vt ab aliis

philoſophiae practicae diſciplinis diſtinguatur, vocari ſueuit PHILOSOPHIA MORALIS. Cui quidem diſciplinae opponitur *Theologia poſitiua* (reuelata) *moralis* & ſpeciatim *Theologia moralis Chriſtiana*, quippe quae denotant legum Diuinarum poſitiuarum ſcientias.

§. 52.

Exiſtit DEVS, vniuerſi huius conditor, conſequenter etiam hominum creator et conſeruator, ex cuius voluntate et nutu, quaecumque ſunt, pendent omnia, pendetque inde etiam hominis cuiuslibet exiſtentia, duratio, felicitas et infelicitas; Ens ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, benigniſſimum, omniſcium omnipotensque. Ex quibus quidem *Theologiae philoſophicae* (naturalis) principiis, vlterius ratiocinando intelligere, quantum ſufficit, poſſumus,

1) *Deum* tamquam *Ens ſapientiſſimum*, quatenus nobis facultatem dedit cognoſcendi, quid a nobis fieri vel non fieri velit, ſimulque facultatem, pro libero noſtro arbitrio ipſius voluntati conuenienter aeque ac diſconuenienter agendi;

hunc

hunc ſibi in condendis nobis conſtituiſſe finem neceſſario, vt nos, non quidem machinarum instar phyſica quadam neceſſitate acti, ſed tamquam auctores factorum noſtrorum, pro libero noſtro arbitrio voluntati ſuae conformiter agere-mus, atque vt actiones liberas, quantum poſſi-mus, omnes ad Eius voluntatem ſummam com-poneremus, conſequenter vt moraliter bene age-remus et moraliter male haud ageremus;

2) *Deum* qua *Ens ſanctiſſimum* non poſſe non punire actiones noſtras moraliter malas; ex aduerſo autem

3) *Deum* qua *Ens benigniſſimum*, qui nos crea-uit, vt ſiamus felices, non poſſe non remune-rari actiones noſtras moraliter bonas;

4) Eumdemque tamquam *Ens omniſcium* nihil omnino ignorare eorum, quae moraliter bene a nobis aut praue fuerint facta; et denique

5) qua *Ens omnipotens* nihil non poſſe phyſice, vt, quemadmodum benignitati, ita quoque ſan-ctitati ſuae ſibique metipſi ſatisfiat in poenis ae-que ac praemiis pro actionum noſtrarum merito nobis diſtribuendis.

§. 53.

Inde autem primo *generatim* consequitur, vt, quatenus Diuini Numinis voluntatem circa actiones nostras liberas cognoscere possumus, eatenus moraliter obligemur ad eamdem explendam. Atque eatenus *existit obligatio* hominum *moralis*.

Porro autem exinde *speciatim* et hoc intelligitur, quod, quatenus Dei voluntatem circa nostras actiones liberas ex principiis philosophicis, ex ipsa natura, citra specialem Dei revelationem, solo rationis lumine cognoscere possumus, eatenus naturaliter obligemur, ad agendum conformiter Diuinae voluntati. Atque ideo *existit quaedam obligatio* hominum *naturalis*, et *lex naturalis*, talis quidem, vnde si ratiocinando descendamus ad conclusiones, plures eliciuntur obligationes et leges speciales, quarum complexus et scientia efficiet Ius Naturale latius dictum §. 51. Quamobrem *existit Ius Naturae*, ponendum quippe posita naturali hominum obligatione ad agendum, quod Diuinae voluntati est consentaneum.

§. 54.

§. 54.

Quin *leges morales* omnes, ideoque etiam leges naturales *praemiis* atque *poenis diuinis* armatae ſint, dubitare non poſſumus §. 52: immo ſi fingeres eas praemiis et poenis deſtitutas, ipſam legum moralium exiſtentiam ſubmoueres; quum ſine bono vel malo conſectario propoſito nulla omnino detur obligatio, nec conſequenter vlla lex exiſtat §. 12. 13.

Itaque in eorum ſententiam concedere non poſſumus, qui leges naturales vnice ob Diuinam circa actiones noſtras liberas voluntatem, remoto omni reſpectu ſeu praemii ſeu poenae, quae nos ex obſeruantia vel transgreſſione harum legum manent, exiſtere contendunt. Qui tales ſibi leges mente concipiunt, non ſatis ad hominis naturam animaduertunt, ita comparatam, vt, niſi per bona aut mala conſectaria obligari nequeat. Accedit his, quod obiicitur iis, qui *amorem* hominis erga Deum poſtulant *purum*, vt homini imponant obligationem, qualem per naturam ſuam recipere non poteſt. Adeo verum eſt quod cecinit vates:

- - - - *quis enim virtutem amplectitur ipſam*
praemia ſi demas. IVVENAL.

§. 55.

Quum omnis actionum humanarum *moralitas* ſit ex lege Diuina et ex voluntate ſummi

Nu-

Numinis §. 46. (quae ideo etiam dici ſolet moralitas ſubiectiua); conficitur, nullam dari, remota lege Diuina, actionum noſtrarum moralitatem, ideoque antecedenter ad voluntatem Dei nullam hominis actionem dici poſſe vel bonam moraliter vel moraliter malam.

§. 56.

Quoniam ea praemia, quibus Diuinum Numen actiones hominum moraliter bonas remunerat, pariter atque poenae illae, quibus in malas actiones animaduertit, non poſſunt non eſſe Diuinis attributis conſentaneae: clarum eſt, generatim *praemia* haec eſſe *maxima*, quibus nulla alia ex oppoſita actione aliunde ſperanda poſſunt eſſe aequalia, *poenas* itidem eſſe *maximas*, quibus nullae aliunde metuendae aequales; vtrasque ſimul cum actionibus moralibus *nexu indiſſolubili* coniunctas, vt nemo ſcilicet mortalium talia conſectaria talibus actionibus conſtituta ab iſtis ſeiungere poſſit; hinc *certiſſimas*, de quarum exiſtentia, quatenus actionum noſtrarum moralium ſunt conſectaria, conuicti eſſe

poſſu-

possumus, *praemiaque auferri nescia* et *poenas ineuitabiles*, a quibus neque agens se ipse, neque alius quisque agentem liberare potest §. 52.

§. 57.

Atque his stabilitis obscurum esse nequit, obligationem moralem reliquis obligationibus quibuscumque esse fortiorem, omniumque, quae cogitari possunt, fortissimam, cui consequenter in collisione ceterae omnes tamquam debiliores cedere debent, ipsa vero sola semper vincat §. 21. 25. Quare obligationes reliquae omnes admittunt exceptionem in conflictu cum obligatione morali, hoc est eo casu, *si obligatio moralis obstiterit*, seu si adsit *impedimentum morale*, per quod actio quaedam fit moraliter impossibilis §. 45. Ideoque in obligatione morali vnice deprehenditur PVNCTVM MORALE, ea obligationis determinatio, quae omnem exceptionem excludit, quum contra reliquae obligationes admittant exceptionem quamdam ipsarum essentiae conformem seu LATITVDINEM MORALEM.

§. 58.

Principium fiendi omnis obligationis moralis est *voluntas Dei circa actiones nostras liberas*

§.

§. 23. et 43, ſpeciatimque obligationis naturalis: *quatenus hanc Eius voluntatem ſola ratione cognoſcere valemus* §. 49.

Principium cognoſcendi (complexum) obligationis moralis eſt: *ad voluntatem Diuinam actiones tuas liberas compone* §. 23. et 43, ſpeciatimque obligationis naturalis: *quatenus hanc Dei voluntatem ſola ratione cognoſcere potes.* Atque ideo haec propoſitio obligationum et legum naturalium eſt *principium vniuerſale* et *primum*, earumque focus et centrum §. 23.

§. 59.

Quum id, ex quo aliud cognoſcere poſſumus, quatenus non tamquam propoſitio concipitur, vocetur eius *principium cognoſcendi incomplexum* (fons cognitionis); ſequitur, vt quidquid rerum ita comparatum, vt ex eius natura aliquid eorum, quae Deus a nobis fieri velit vel nolit, colligere poſſimus, illud pertineat ad principia cognoſcendi obligationes naturales incomplexa, atque horum principiorum partialium ſumma conſtituat *principium* cognoſcendi *totale*, *fontemque cognitionis* legum naturalium atque Iuris Naturalis *vniuerſalem.*

§. 60.

§. 60.

VOLVNTATI DIVINAE AGE CONFORMITER §. 58, QVANTVM POTES §. 14. ob felicitatem tuam et hinc generalius in tui perfectionem §. 52. Ergo viue conuenienter perfectionibus, attributis, finibus, gloriae Dei, finibus (Dei respectu) rerum, perfectionibus rerum.

Gloriam Dei illustra, perfice omnia, quaere optimum mundi, optimum generis humani, optimum tibi, perfice te, conserua te.

Perfice te non tantum vt *finem*, sed etiam vt *medium finium Diuinorum*. Quaere perfectionem et conseruationem tui, subordinatam voluntati Diuinae §. 57.

Ama Deum, ergo ama te ipsum, ama alios.

Duplici itaque relationum nexu inter se colligantur perfectio et obligatio nostra naturalis. Pro diuerso enim respectu *perfectio nostra* est tum *ratio obligationis* nostrae naturalis, quippe alias obligatio nostra esset impossibilis §. 12. et § 54. *not.*; tum simul etiam eiusdem *rationatum*, quippe ad fines Diuinos omnino etiam referenda est ipsa nostra perfectio et felicitas.

§. 61.

§. 61.

Iam facile eſt intellectu, quaenam *actiones* poſitis legibus naturalibus ſeu in *ſphaera Iuris Naturalis* ſint *moraliter neceſſariae*, *poſſibiles* vel *impoſſibiles* §. 44; porro quaenam actiones *licitae* vel *illicitae*, *moraliter bonae* vel *moraliter malae* et *prauae*, *morales* vel *moraliter indifferentes* et *permiſſae* §. 46; denique quid ſit in hac ſphaera *facultas moralis* §. 44, quid *peccatum naturale* §. 46, *officium naturale* et *virtus naturalis* (philoſophica) §. 47. ACTIO ex lege naturali bona dicitur HONESTA, mala autem INHONESTA.

§. 62.

Officia hominis *moralia* pro differentia obiecti diuerſa ſunt: ſiquidem vel tantummodo Deum reſpiciunt, vel ſimul ſemetipſum aut alia entia quaelibet, potiſſimum alios homines; atque hinc diſpeſcuntur officia etiam naturalia in *officia erga Deum* (immediata), officia *erga ſemetipſum* et officia *erga alia* ſpeciatim *erga alios homines*.

§. 63.

Ratio, vnde factum, vt legibus Diuinis in complexu ſumtis ſpeciatimque etiam Philoſo-

phiae

phiae Morali vniuersae nomen *Iuris* impertitum fuerit, ex earumdem cum legibus nostris ciuilibus, quarum complexionem *ius* vocamus, similitudine potest commonstrari. Hae leges nimirum auctorem habent *superiorem* nostrum, et sub *metu poenae* nos obligant seu *sanctione poenali* munitae sunt; atque id genus *leges sensu iuridico* tales, ipseque superior, qua talium legum auctor, *legislator* appellari sueuit. Vocatur vero aliquis SVPERIOR, quatenus alter est eius subditus, *subditorum* autem nomen eis, qui actiones suas omnes ad voluntatem alterius componere obligantur, nemo potest non tribuere.

Quum igitur 1) quilibet mortalium sit subditus Dei §. 53.60, atque ideo summum Numen vniuersi generis humani sit superior, et 2) actiones hominum moraliter malas legumque Diuinarum violatores maneant indubitanter poenae maximae §. 56; patet, hanc inter leges nostras ciuiles Diuinasque intercedere conuenientiam, vt vtraeque consistant in propositionibus, ad quas ob voluntatem superioris nostri componere actiones nostras liberas sub metu poenae obligamur; patet-

que ideo, leges Diuinas omnes esse leges sensu iuridico tales; atque, quum talium legum eiusdem generis complexionem *ius* appellitemus, legibus Diuinis in complexu sumtis, quum positiuis tum naturalibus, consequenter etiam Philosophiae morali seu Iuri Naturali merito *Iuris* nomen sit tribuendum.

Atque ita simul ratio constat, cur Ius Naturale dicatur *Ius Diuinum*, et opponatur *Iuri Humano*: siquidem legum naturalium auctor et legislator est summum Numen, reliquarum vero nostrarum legum iuridice talium legislatores sunt homines. Hinc recte etiam Naturale Ius vocatur *Ius Philosophicum*, quoniam haec scientia pertinet ad disciplinas Philosophicas §. 51.

1. Haec Iuris Naturalis notio, quod consistat in legibus, ex voluntate Dei tamquam superioris nostri proficiscentibus, captui eorum, qui Iurium Positiuorum studiis incumbunt, satis bene est accommodata, immo et apprime foecunda, vnde si progrediamur in peruestigandis Iuris Naturalis cum Iuris Ciuilis similitudinibus largam segetem conclusionum vtilissimarum vi logicae abstractionis colligere atque intelligere possumus, ius summi Numinis, qua Creatoris Optimi Maximi, hoc est Entis potentissimi, sapientissimi et benignis-

nigniſſimi in ſpiritus creatos ſpeciatimque genus humanum eſſe imperium pleniſſimum, ſummum atque abſolutiſſimum, a quo dependent homines tamquam *ſubditi naturales* et *neceſſarii*, ad illimitatam *obedientiam* ipſi obſtricti, vnde enaſcitur notio *Ciuitatis Dei* et *Theocratiae*; porro Deum eſſe huius Ciuitatis maximae *Monarcham* et *Autocratorem*, legibus moralibus et naturalibus teneri homines vi ſupremae eius *poteſtatis legislatoriae*, finem harum legum reſpectu ipſorum hominum primarium eſſe *bonum Ciuitatis* ſuae *publicum*, actiones moraliter malas abire omnes in *delicta*, quasdam in *laeſae maieſtatis Diuinae crimina* cet.

2. Sed ſufficit haec attigiſſe, quum ad pleniorem harum rerum intelligentiam prolixior requiratur tractatio, quam quae in limine Iuris Naturalis inſtitui poſſit; et ſufficere ſpeciatim, quae de *ſuperioris* et *ſubditi* notione indicauimus, eo magis debent, quod genuina vis atque poteſtas horum terminorum, quantum nos quidem exiſtimamus, exhauriri non poſſit ſine praeſtabilita *imperii* definitione, quae ipſa vero plures alias praeſtruit notiones, quas hic euoluere aut plane non poſſemus, aut certe nimis longum foret. Neque etiam opus eſt, haec fuſius perſequi hoc loco, quoniam 1) faciliori negotio deduci poſſunt immo clariori luce effulgent, ſicubi ad Ius Publicum Vniuerſale peruentum, illudque bene hauſtum fuerit, in qua diſciplina horum terminorum ſedes propria repericur; atque 2) ea, quae ad Iuris

Naturalis notionem et existentiam stabiliendam sunt necessaria, iam planiori et expeditiori via, nisi omnia nos fallunt, a nobis ostensa sunt. Ceterum qui plura de *Diuino* in homines *Imperio* desiderat, adeat, si visum fuerit, CANZIVM *de Ciuitate Dei*, BVRLAMAQVI *principes du Droit Naturel*, partie II. *des Loix Naturelles*, et HANOVIVM part. I. *Philosophiae Ciuilis*.

3. Id vnicum obseruare liceat: quum *consilium* communi omnium consensu opponatur *legi sensu iuridico tali*, nos alienissimos esse ab eorum sententia, qui totum Ius Naturale omnemque philosophiam moralem *in meris* consistere *consiliis* sibi persuadent.

§. 64.

Obligationem naturalem *sola ratione* cognoscere possumus §. 49. Scilicet medium sufficiens cognoscendi leges naturales a Deo Optimo Maximo nobis concessum, quum nos constitutos in hoc mundo rationis participes fecit, cuius vsu ex natura nostra rerumque, quae rationi nostrae patent, tamquam ex fonte §. 59. haurire cognitionem legum naturalium, & perspicere, quaenam nostrae actiones liberae Ipsius sanctissimae voluntati conformes vel contrariae sint, valemus. Hinc leges naturales et Ius Naturale vocantur *leges rationis*

tionis et *Ius Rationis*, cui opponuntur *leges* et *Ius Reuelationis* (fidei), hoc eſt illud Ius Diuinum illaeque leges Diuinae, quae ab homine ſine ſpeciali Dei reuelatione cognoſci nequeunt, quarumque notitia demum ex ea tamquam e fonte cognitionis hauriri poteſt, quales ſunt leges Diuinae poſitiuae et Ius Dei poſitiuum §. 50.

Reuelatio Dei generatim deſignat actum, quo Deus nobis mentem ſuam manifeſtat ſeu cognitam reddit. Conceſſio itaque rationis, vi cuius voluntatem Numinis circa certam directionem actionum noſtrarum liberarum atque ideo leges naturales perſpicere poſſumus ex ipſa rerum proſtantium natura, continet reuelationem generalem, vt adeo ad producendam in nobis harum legum notitiam alia adhuc *reuelatione*, quae hinc dici meretur *ſpecialis*, & qualis ad cognoſcendas leges Diuinas poſitiuas requiritur, opus non ſit.

§. 65.

Leges naturales ſunt ſpecies legum ſenſu iuridico talium §. 63, atque eatenus ipſis, qua talibus, altera ſpecies legum iuridicarum opponitur, *leges* nimirum *poſitiuae*, quae ſola ratione cognoſcibiles non ſunt. Et quemadmodum leges poſitiuae, quarum legislator eſt Deus, appellantur

Diuinae §. 43, ita illae, quarum legislator est homo, vocantur *leges positiuae humanae*. Hinc intelligimus, 1) quid *Ius Positiuum* in genere et *Ius Positiuum Humanum* in specie dicatur, 2) quoniam ex lege iuridice tali concipitur *obligatio sensu iuridico* talis, eiusmodi *obligationem* esse *naturalem* vel *positiuam*, atque hanc iterum vel diuinam vel humanam; 3) quia OFFICIVM *in genere* designat actionem lege iuridica debitam (conf. §. 47.), *officia* alia esse *positiua* alia *naturalia*.

§. 66.

Actus, quo ad notitiam legis iuridicae perducuntur ii, quibus per ipsam obligatio constituitur, vocatur LEGIS PROMVLGATIO (publicatio). Quum lex positiua proficiscatur e voluntate legislatoris, sola ratione haud cognoscibili, ideoque sit lex talis, quae demum facta promulgatione cognosci queat, consequenter antequam publicata fuerit, vt res ignorata non obligeat §. 16; sequitur, vt ad constituendam legis positiuae seu Diuinae seu humanae obligationem requiratur eiusdem promulgatio; ex aduerso autem simul patet, leges naturales, quippe

quarum

quarum notitiam rationis noſtrae vſu ipſi aſſequi valemus, tali promulgatione haud indigere, atque ideo nos iis teneri, licet ita promulgatae haud fuerint.

Promulgatio legum Diuinarum poſitiuarum in earumdem ſpeciali continetur reuelatione §. *praec. not.*

§. 67.

Quum poſito homine vſu intellectus inſtructo ponatur eiusdem obligatio ad agendum conformiter voluntati Diuinae, quatenus eam cognoſcere valet, adeoque ponatur obligatio naturalis §. 53; ſequitur vt OBLIGATIO NATVRALIS *generatim ſumta* eatenus ſit

1) NECESSARIA, quae poſito homine, vſu intellectus inſtructo, ponitur, hoc eſt, non poteſt non ipſi inexiſtere, hinc quae tali homini per naturam ſuam ſimpliciter inhaeret, et a qua homo nec ſe ipſe liberare, nec ab alio quocumque liberari poteſt; non *arbitraria*, quae demum manifeſtata legislatoris voluntate (per reuelationem ſpecialem vel promulgationem) ponitur;

2) VNIVERSALIS (*ſubiectiue* talis), quae omnibus hominibus rationis vſu praeditis incumbit;

bit; non *particularis*, quae certis dumtaxat hominibus inhaeret:

3) IMMVTABILIS, quae perſtante hac hominis natura alia fieri nequit, hinc quae tolli non poteſt; non *mutabilis*:

4) AETERNA, quae, quoad exiſtunt homines intellectus vſu inſtructi, perdurat; non *temporaria*, ad minoris temporis ſpatium reſtricta.

Atque ita ſimul intelligimus, *legem naturalem primam* §. 58. eſſe neceſſariam, vniuerſalem, immutabilem aeternamque, vnde et ipſum *Ius Naturae*, tamquam complexus concluſionum e lege naturali prima vocatur ius neceſſarium, vniuerſale, immutabile atque aeternum.

1. Probe tamen obſeruandum, plures leges naturales, quae e prima lege naturali deriuantur, demum *poſito certo hominis ſtatu* ex ipſa colligi, ideoque nec niſi eos, qui in hoc ſtatu poſiti ſunt, obligare, neque ergo tales leges naturae ſpeciales niſi ſub certa hypotheſi eſſe leges neceſſarias cet.

2. Dubium, quod e *conflictu* legum naturalium ſuboriri poteſt contra earumdem immutabilitatem, infra remouebitur.

3. Si

3. Si nemo vllus obligatione naturali nos *liberare* poteſt; conficitur, et ipſum Deum, auctorem omnis obligationis naturalis et legislatorem Iuris Naturalis, efficere hoc minime poſſe, ideoque nec *diſpenſare* (qui actus legislatoris cogitatur vt ſpecies liberationis ſeu exemtionis ab obligatione) poſſe circa leges naturales, vnde *obligatio naturalis* vocari ſueuit *indiſpenſabilis.* Atque hoc recte affirmari de obligatione naturali generatim ſumta et de Iure Naturali, quoad vniuerſum ambitum ſuum ſpectato ex eo comprobatur, quod talis actus Dei, quo aliquem vel aliquos mortalium omnibus legibus naturalibus et vniuerſo Iure Naturae ſolueret, repugnaret attributis Diuinis ſpeciatim ſummae eius ſapientiae §. 52. Sed vtrum Deus non poſſit hominem quemdam ab obligatione alicuius ſpecialis legis naturalis quoad ſingulare facrum eximere, quod *proprie* dicitur *diſpenſare*, id quidem facilius creditur quam euincitur. Sane ſi ponere velles talismodi diſpenſationem, rem ſumeres quam maxime extraordinariam et miraculi inſtar conſiderandam, ſed vel eo nomine non plane impoſſibilem. Danturne miracula in mundo phyſico, largimurne ea cum ſapientia Diuina non pugnare? quid vetat dubitare, annon Deus etiam *miracula* (ſi ita fas eſt dicere) in *mundo morali* facere poſſit?

§. 68.

Poenae Diuinae cum actionibus moraliter malis copulatae ſunt mala, quae animam, cor-

pus aut ſtatum externum peccatoris ſingulatim vel iunctim afficiunt, dicunturque in oppoſitione *ad malum morale*, quod ſcilicet in actione moraliter mala concipitut, *mala phyſica*, poſſuntque tam *priuatiue* quam *poſitiue* cogitari.

Sunt praeterea POENAE DIVINAE vel NATVRALES, quarum nexum cum actionibus moraliter malis ex principiis philoſophicis ſeu ex ipſa rerum natura cognoſcere poſſumus, vel ARBITRARIAE (poſitiuae), quas ita cognoſcere non poſſumus. Sane dari *mala fortuita* (fortunam aduerſam), quibus vtitur Deus in poenam peccatorum, darique ergo poenas Diuinas arbitrarias, Theologiae philoſophicae argumentis luculenter eſt comprobatum.

Atque ita pari ratione et *praemia Diuina* ſunt *bona phyſica* ob *bona moralia* nobis collata, ſiue *poſitiua* ſiue *priuatiua*, ſeu *naturalia* ſeu *arbitraria*, quo et referenda ea *bona fortuita* (fortuna ſecunda), quibus virtutis cultores a Diuina Prouidentia exornantur.

§. 69.

Ad praemia actionum noſtrarum moraliter bonarum naturalia referenda *voluptas* ex intuitu

per-

perfectionis nostrae *moralis*, hoc est conuenientiae actionum nostrarum liberarum cum obligatione morali progenerata, mater gaudii, laetitiae, satisfactionis internae, acquiescentiae in se ipso et fiduciae in Deum eiusque prouidentiam beneuolam; quemadmodum ex aduerso poenis naturalibus accensendus status peccatoris bonis hisce destitutus, *taedium* ipsius ex intuitu *imperfectionis* suae *moralis*, ex sensu (sensatione) culpae §. 35. moralis ortum, mater tristitiae, luctus, moeroris, poenitentiae, horroris respectu poenarum Diuinarum et desperationis.

§. 70.

Quamobrem si tibi conscius es facti tui moraliter boni, voluptatem percipies; sin facti moraliter mali, taedium senties. Atque haec conscientia moralitatis facti proprii est id, quod vocatur CONSCIENTIA MORALIS, immo in disciplinis moralibus *simpliciter* CONSCIENTIA dicitur, quae ideo consistit in eo hominis iudicio, quo certae suae actioni bonitatem moralem vel prauitatem attribuit. Quatenus quis peccati sui sibi conscius est, MALAM CONSCIEN-

SCIENTIAM habere dicitur; BONAM e contrario, quatenus peccati alicuius sibi conscius non est, vel facti sui moraliter recti est conscius. Quoniam itaque conscientia recte factorum cum sensu voluptatis, hinc cum interna satisfactione aliisque gratis perceptionibus, ex adverso autem conscientia praue factorum cum sensu taedii, hinc cum tristitia aliisque perceptionibus ingratis naturaliter est copulata §. 69; consequitur, vt ad naturalia recte factorum praemia pertineat etiam *bona conscientia*, sicuti ad naturales praue factorum poenas *conscientia mala*. Sumitur *conscientia* etiam pro facultate, aut quoque pro habitu hominis, moralitatem actionum suarum diiudicandi.

§. 71.

Porro ad praemia naturalia etiam pertinent *habitus moraliter boni*, quibus tum facilior tum gratior indies redditur emendatae menti legum Diuinarum obseruantia; sicuti contra ea poenis naturalibus annumerandi *habitus praui*, quibus tum difficilior tum molestior indies efficitur corruptae menti legum Diuinarum obseruantia.

§. 72.

§. 72.

Neque minus ad naturalia actionum nostrarum moralium merita referenda existimatio nostra. Consistit autem EXISTIMATIO (moralis) hominis in iudicio aliorum, quo ipsi perfectionem vel imperfectionem moralem §. 69. attribuunt: speciatim BONA, si tribuunt perfectionem moralem; MALA, si imperfectionem moralem. Quum existimatio nostra bona nobis conciliet animos aliorum, vt proniores fiant ad auxilia nobis ferenda; existimatio autem mala alienet aliorum a nobis animos, vt ad nos iuuandas euadant difficiliores, immo ad oppositum faciendum proniores; hinc in illa magnum ad felicitatem nostram praesidium, quemadmodum in ista ingens felicitatis nostrae impedimentum situm reperiatur: existimatio bona actionum nostrarum moraliter bonarum, vnde ipsa promanat, praemium; mala prauarum actionum, vnde deriuatur, poena est naturalis.

Ex intuitu existimationis nostrae bonae satisfactio interna §. 69, sicuti ex intuitu existimationis nostrae malae *pudor* progeneratur: hinc etiam quum satisfactio illa praemiis, tum pudor hic poenis naturalibus accensendus. §. 73.

§. 73.

Denique in hac poenarum praemiorumque Diuinorum consideratione non dubitamus, mentionem iniicere *vitae* nostrae post mortem *futurae aeternae*, coniunctaeque cum eadem pro cuiusuis factorum in hac vita perpetratorum merito aut *felicitatis* aut *infelicitatis maioris*. Quamuis enim certo sensu vtique admittamus, hanc, quam viuimus, vitam omnis philosophiae Iurisque Naturalis esse terminum: tamen haec sententia, vno ferme omnium omnis aeui populorum ore confirmata, hoc loco neutiquam omittenda, quoniam eadem, ipsius philosophiae argumentis ad moralem vsque certitudinem prouecta, magna prae primis vi pollet, sicut circa actiones suscipiendas ad voluntatem nostram commouendam, ita etiam circa facta perpetrata ad mentem nostram vel tranquillam gaudentemque, vel inquietam lugentemque reddendam. Quamobrem quum conscientia §. 70. coniuncta cum metu mali vel spe boni, licet probabiliter saltem malum illud metuamus vel bonum speremus, ad poenas et praemia naturalia pertineat: etiam haec

haec vitae poſt mortem futurae exſpectatio noſtra praemiis poenisque naturalibus iam in hac vita exiſtentibus omnino annumeranda; licet veriſimilitudine tantum haec exſpectatio nitatur, et licet praemia poenaeque ipſae, in altera olim vita exſtiturae, ſint arbitrariae, quippe circa quas exſpectamus tantum, quod ſint futurae, quaenam vero actu fuerint, ignoramus.

§. 74.

Atque haec, quae commemorauimus §.68-73. ſunt quaedam ſpecies praemiorum ac poenarum Diuinarum, quibus efficitur *vis imputandi* §. 42. legum moralium ſpeciatimque naturalium, quae etiamſi ſpecialiora actionum ſpecialium conſectaria hoc loco tractari nequeant, immo licet plane ignorentur, tamen generatim vt *fortiſſima* conſiderari debet §. 57. Quare horum praemiorum poenarumque Diuinarum repraeſentatio in mente agentis tamquam totidem motiua §. 11. efficient harum legum *vim obligandi* §. 24. aeque *fortiſſimam.* Quumque AVCTORITAS *legis iuridicae* conſiſtat in ea eius affectione, quatenus ipſi praeſtatur debita obſeruan-

ſeruantia; conficitur, leges morales ſpeciatimque naturales ob vim obligandi, quae ipſis ineſt, fortiſſimam, non poſſe non conciliare ſibi auctoritatem maximam apud eos, qui prauis habitibus haud abrepti voluntatem rectae rationi conuenienter determinare non impediuntur.

§. 75.

Vidimus officiorum naturalium motiua §. 11. ſeu *rationes* ad ea facienda *mouentes*, a quibus diſtinguendae ſunt *rationes* horum officiorum *probantes*. Quum officia naturalia oriantur ex legibus naturalibus §. 47. 61, atque ideo exinde probanda ſint; ſequitur, vt officiorum naturalium rationes probantes deſumendae ſint ex conuenientia actionum cum voluntate, attributis, finibus Diuinis §. 60, quatenus haec ſola ratione cognoſci poſſunt. Et cognitio quidem huius conuenientiae intellectum conuincit de veritate officii naturalis, ſicut praemii vel poenae Diuinae cognitio voluntatem impellit ad faciendum officium. Quoniam tamen officiorum naturalium obſeruantia et violatio, illa quidem cum praemiis, haec cum poenis Diuinis connexa eſt;

facile

facile intelligitur, rationes probantes officiorum naturalium pertinere ſimul mediate, ob hunc nexum, ad rationes mouentes, ideoque vicem motiuorum in flectenda voluntate ſuſtinere poſſe. Atque ita verum eſt, motiua actionum noſtrarum e voluntate Diuina eſſe petenda, ac in determinandis actionibus noſtris liberis magis curandum eſſe, quid circa quamuis velit Deus, quam quid boni vel mali exinde in nos ſit redundaturum. Vnde adultis in virtute, de poenis vel praemiis ſpecialibus ſingularum actionum ſuarum minus ſollicitis, idem, quod ipſis primaria vitae norma eſt, per habitum ſimul euadit motiuum fortiſſimum: *faciendum, quod Deo placet.*

§. 76.

Quoniam de cetero euidens eſt, legibus naturalibus teneri omnes illos, qui quum eas actu ignorent, vel circa illas errent, potuiſſent tamen non ignorare vel non errare §. 37. 60; conſequitur, vt ignoratio obligationis naturalis generatim conſideratae neminem excuſet vſu intellectus inſtructum §. 67, eaque propter nec *atheum*, qui Deum non eſſe opinatur, nec *deiſtam*, qui

Deum minus curare res humanas, neque ſeu prauos punire ſeu remunerare bonos ſibi perſuader: quippe atheismus & deismus ſunt errores vincibiles, ideoque eo ipſo in poenam imputabiles, quum, quantum tales errores practicos vitare poſſimus, tantum & debeamus §. 60.

§. 77.

Age conuenienter voluntati Diuinae, *quantum potes* §. 60. Ergo age prae aliis actionibus, ſeu *praefer in agendo*, quod voluntati Diuinae eſt *conuenientius*, *age prae ceteris*, quod Ipſius ſummae voluntati eſt *conuenientiſſimum*; praefer, quod cum fine Dei ſuperiori magis conſentit, fac prae primis, quod fini Diuino ſupremo ſeu primario maxime eſt conſentaneum; praefer in agendo id, quo gloria Dei magis manifeſtatur, quo ad optimum mundi, ad perfectionem aliorum, ad tuam felicitatem plus confertur §. 60.

Quamobrem ſi ſumis duas actiones, quarum ſingula per ſe conſiderata eſt moraliter debita, quae vero ambae obueniente caſu ſimul peragi nequeunt: ea harum actionum, quae voluntati

Diui-

Diuinae eſt conuenientior, eſt peragenda, quae minus, non peragenda; atque in hac actionum pugna 1) non tantum ad poſteriorem non obligaberis moraliter, ſed etiam 2) ad huius poſterioris actionis contrarium faciendum moraliter obligaberis, ita vt ſi poſteriorem faceres, peccares, actionem faceres moraliter malam.

Itaque actio quaedam, quae per ſe vel ſub certa hypotheſi eſt moraliter bona, ſub alia hypotheſi, in pugna cum alia actione moraliter bona, quae Diuinae voluntati eſt conuenientior, poteſt degenerare in actionem moraliter malam.

Age moraliter bene, quantum potes §. 46. 60, ergo fac potius, quod moraliter eſt melius, fac potiſſimum, quod moraliter eſt optimum.

§. 78.

Quum poſita actione morali ponatur lex & obligatio moralis officiumque morale §. 46, ſi ex hac actionum pugna, de qua expoſuimus, concludis ad pugnam duarum legum, obligationum officiorumque moralium; in promptu habes regulam exceptionis: *in colliſione legum moralium* vincit ea, cuius obſeruantia voluntati Di-

uinae conuenientius agitur, et cedit ipsi altera. Vnde ista lex tamquam fortior, haec tamquam debilior consideranda est §. 12. Et haec etiam in pugna obligationum & officiorum obtinere per se clarum est.

Sed, si dicendum, quod res est, vera pugna legum moralium non datur: quippe si daretur, ad eamdem actionem Deus nos simul et obligaret et non obligaret, vellet idem, quod simul nollet; quin potius, quod comprobauimus §. *praec.*, actio per se moraliter bona in pugna cum actione moraliter meliori cessat esse moraliter bona, ergo eatenus circa eamdem qua talem cessat obligatio et lex moralis, et ipsa cessat esse officium morale. Quare, si hoc casu leges officiaque iudicantur collidi, hoc imbecillitati intellectus humani tribuendum est, quoniam pugna haec legum moralium est tantum apparens, errorem vitiumque logicum continens.

Ergo nec legis naturalis cum alia naturali, nec legis naturalis cum lege Diuina positiua vmquam vera datur collisio.

§. 79.

§. 79.

Quamobrem si apparet *officiorum naturalium* conflictus, quod tum circa coordinata, tum circa subordinata accidere potest officia; 1) *subordinatorum* ea, quae est inferior, cedit superiori, 2) *coordinatorum* autem ea vincit, quae cum officio proxime superiori, vtrique coordinatorum communi, propius conspirat §. 77.

§. 80.

Quodsi sumis *legem Diuinam positiuam*, quam talem esse certo nosti, pugnare cum *naturali*; vincet positiua ea propter, quoniam si datur reuelatio (specialis), datur necessario ad supplendum rationis nostrae defectum, ideoque certius et maius est lumen reuelationis lumine rationis nostrae sibi soli relictae, erroribus naturaliter obnoxiae.

Quid, si Deus iussisset aliquando positiua lege fieri id, quod naturali aduersatur, potuissetne hoc iure suo dispensandi summo ab hominibus postulare, vt exceptionem a lege naturali hoc casu facerent? §. 67. *not.*

§. 81.

Itaque 1) leges naturales speciales admittunt aliquam exceptionem ipsarum essentiae con-

gruentem, §. 77. 79. hinc *latitudinem quamdam moralem* (restrictionem tacitam) *habent* §. 57. 2) Quum obseruantia talis legis et officii in pugna cum fortiori fiat moraliter impossibilis, & contineat impedimentum morale §. 45: si hoc casu neglectionem legis debilioris et officii consideras tamquam rectitudinis facti defectum; talis defectus erit inuincibilis moraliter §. 34, ideoque moraliter inculpabilis §. 35, immo tantum abest, vt fuerit imputabilis vt contrarium potius in poenam imputaretur §. 77.

§. 82.

Age conformiter voluntati Diuinae, quantum potes §. 60: ergo iunge vires tuas cum viribus reliquorum hominum, seu iunge te reliquis, ad explendam voluntatem Dei tamquam ad finem perdurantem (circa negotium non-transitorium) omnibus hominibus communem §. 67.

Coniunctio plurium ad persequendum finem quemdam communem et perdurantem dicitur CONSOCIATIO, et ea, quae inde efficitur *vnio* (status consociatorum ex consociatione), SOCIETAS, singulique ita vniti

ti SOCII (membra ſocietatis) appellantur. Quum igitur exiſtat obligatio naturalis hominum ad voluntatem Diuini Numinisvnitis viribus explendam, eatenus recte affirmatur exiſtentia SOCIETATIS hominum 1) VNIVERSALIS, quippe cuius ſocii ſunt omnes homines, et NECESSARIAE, ad quam per ipſam naturam ſuam obligantur §. 67. Quousque igitur extenditur voluntas Dei vnitis hominum viribus exſequenda, qua lex naturalis, eo vsque extenditur finis ſocietatis vniuerſalis et obligatio hominum tamquam ſocietatis huius membrorum. Quamobrem ad finem ſocietatis vniuerſalis pertinet illuſtratio gloriae Diuinae, optimum generis humani, et quae ſunt reliqua his ſubordinata §. 60. *Societas* deſignat quoque complexum ſeu coetum ſociorum.

§. 83.

Sumitur tamen SOCIETAS haec VNIVERSALIS plerumque *ſtrictiori ſignificatu* pro vnione hominum ad felicitatem communem mutuo promouendam, atque hinc etiam *obligationes* et *leges* et *officia*, quae poſita hac ſocie-

tate vniuersali ponuntur, simpliciter *sociales* et *socialia* solent denominari, vnde et virtus hominis in explendis officiis societatis huius vniuersalis, vocatur SOCIALITAS. Quoniam igitur officiorum socialium huius societatis vniuersalis *stricte* immo *simpliciter* dictae idem est obiectum et finis quod officiorum erga alios §. 62; patet, officia naturalia hominis erga alios tamquam officia socialia posse considerari. Vocantur haec officia etiam *officia socialitatis*.

§. 84.

Quaere optimum generis humani, est lex naturalis, subordinata tamen studio gloriae Diuinae §. 60: ergo confer ad conseruationem, perfectionem, felicitatem aliorum quantum potes; esto medium conseruaudi perficiendique alterius; fac aliis, quae vis, vt alii tibi faciant.

Ne agas, quae conseruationi, perfectioni, felicitati aliorum aduersantur; caue sis impedimentum conseruationis perfectionisque alterius; quae tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ne impedias alterum in iis, quae conformiter obligationi vel facultati suae morali agit.

§. 85.

§. 85.

Progressus ad finem societatis obtinendum non impeditus vocatur SALVS SOCIETATIS. Fac, quae salutem generis humani promouent, quae contra ipsi repugnant, ne facito. Ergo, quidquid ita comparatum, vt, si ab omnibus hominibus intermitteretur, generi humano pereundum esset, id naturaliter est praeceptum; quidquid autem ita comparatum, vt, si ab omnibus committeretur, generi humano pereundum esset, illud naturaliter prohibitum est §. *praec.*

Quod alteri bonum est, VTILE est, atque ideo VTILITAS bonitas est respectiua. Esto generi humano vtilis, confer ad cuiuslibet vtilitatem, quantum potes §. *cit.*

§. 86.

Ad socialitatem colendam et 1) *voluntas Dei* nos naturaliter obligat, et 2) *indigentia naturalis humana* compellit, et 3) inuitat simul insitus ille alios amandi instinctus seu *philanthropia ingenita.*

§. 87.

Perfice te, eſt lex naturalis, ſubordinata tamen aliis legibus fortioribus §. 60. Ergo obligamur naturaliter ad perfectionis & conſeruationis noſtrae media adhibenda, impedimentaque remouenda, in quantum ſcilicet horum remediorum vſus remotioque impedimentorum cum obligatione maiori non pugnat; conſequenter in vſum illorum horumque remotionem eatenus nobis etiam competit facultas moralis ſeu *ius naturale* §. 44. 45.

§. 88.

Quum porro detur facultas moralis non tantum ad id, ad quod moraliter obligamur §. cit., ſed etiam ad id, quod nulli legum moralium repugnat §. 44: conſequitur, vt nobis naturaliter competat facultas moralis ſeu ius 1) ad faciendum quodlibet officium tum erga Deum tum erga nosmetipſos tum erga alios, ideoque etiam ad officium ſocialitatis quodcumque, niſi officium maius obſtiterit; 2) ad omne id, quod moraliter permiſſum ſeu moraliter indifferens eſt §. 46; 3) in omnem vſum facultatum noſtrarum phyſicarum moraliter non prohibitum; immo conſequitur

quitur etiam, vt 4) facultas moralis in finem tribuat etiam facultatem moralem in eius media, et in remotionem impedimentorum, nisi lex moralis obstiterit.

§. 89.

Quoniam vero omni facultati meae morali respondet in te obligatio moralis ad me non impediendum in vsu & exercitio facultatis meae moralis §. 84; consequens est, vt, quousque facultas mea moralis seu ius extenditur §. 87. et 88, eo vsque et tua erga me pateat moralis obligatio. Probe tamen obseruanda limitatio essentialis seu tacita omnis obligationis specialis: tantum quemque obligari, quantum potest physice et moraliter §. 45.

§. 90.

Lex iuridice talis, quae mihi facultatem tribuit aliquid licite agendi, tibique obligationem imponit, me in hoc peragendo non impediendi, si consideratur respectu mei, vocatur LEX PERMITTENS (permissiua); si respectu tui, LEX IVBENS. Appellatur nempe lex respectu priori permittens, quod facultatem largiatur,

giatur, certam actionem tamquam licitam, ideoque tamquam permissam perpetrandi. Quamobrem omnis facultas hominis moralis, omne ius naturale est ex lege morali vel iubente vel certe permittente. Distat vero facultas moralis ex lege iubente ab ea, quae ex lege permittente deriuatur, quemadmodum actio iussa ab actione distat permissa §. 46. 47.

Omnis igitur facultas moralis veri nominis haec duo habet connexa, 1) respectu ad Deum, quod supponat Deum aliquid iubentem vel saltim permittentem, 2) respectu ad alios homines, quod ponat, alios ad agnoscendam hanc meam facultatem moralem eatenus teneri, vt scilicet obligentur me non impedire in exercitio facultatis meae moralis.

§. 91.

Ex diuerso hominum statu diuersae species obligationum, legum, officiorum et facultatum moralium seu iurium late dictorum §. 44. naturalium promanant; vnde Ius Naturale late d. seu Philosophia Moralis tanquam totum considerari, & diuersis partibus distribui potest.

Speciatim notari meretur, hominem praeter illam *societatem vniuersalem*, cuius per ipsam naturam

turam constituitur membrum, vel simul in *societate* quadam degere *particulari*, vel minus degere. Status hominis prior vocatur STATVS SOCIALIS *strictius* et *simpliciter*, posterior contra EXTRA SOCIALIS (solitarius) & per excellentiam STATVS hominis NATVRALIS. Atque sic pro substrata materia et *obligatio socialis*, *lex socialis*, *officium sociale* cet. strictiori sumuntur significatione scilicet pro obligatione, officio, lege, in statu societatum particularium obseruanda.

Scientia legum naturalium in statu sociali str. d. obseruandarum dicitur IVS SOCIALE VNIVERSALE (Ius Sociale Naturale, Ius Naturale Societatum Particularium) *latius d.* Ergo Ius Sociale Vniuersale est scientia officiorum et legum naturalium socialium, & scientia obligationum atque iurium socialium vniuersalium. Ius Naturale non-sociale in oppositione ad I. Nat. Sociale vocatur *Ius mere Naturale.*

§. 92.

Si societas, pro complexu sociorum hominum sumta §. 82. consideratur generatim, abstrahendo nempe ab iis, quae hoc vel illud singulum

gulum eius membrum concernunt, ſpectari nequit niſi tamquam *ens vnum.* Quoniam vero ſocietas ita conſiderata eſt totum, ex pluribus ſociis indiuiduis tamquam totidem partibus compoſitum, quorum ſingulus quisque eſt homo, ideoque quorum ſingulo cuique et obligationes naturales incumbunt, et iura naturalia competunt; conficitur, integrae ſocietati generatim ſpectatae easdem obligationes et iura naturalia attribuenda eſſe, quae de ſingulo quoque eiusdem membro praedicantur, niſi ratio diuerſitatis ex ipſa ſocietatis natura commonſtrari poſſit. Quamobrem hactenus omnis ſocietas particularis reſpectu non-ſociorum (exterorum) tenetur obligationibus humanis, et inſtructa eſt iuribus humanis naturalibus, vnde ſocietas vocatur *perſona moralis* (myſtica, corpus morale, myſticum) in oppoſitione ad hominem indiuiduum, tamquam perſonam ſingularem.

§. 93.

Atque hinc intelligitur, obligationes, iura, leges, officia naturalia, quae reſpectu ſingulorum hominum ſunt ſtabilita, ad quascumque ſocieta-

tes

tes hominum particulares posse applicari; exclusis nimirum iis, quae ob diuersam hominis indiuidui et societatis naturam diuersimode determinanda. Qua quidem via compendiaria quum vtantur omnes, qui naturales societatum particularium leges pertractant, patet ratio, cur Ius Sociale Vniuersale tamquam Ius Naturale ad societates particulares applicatum definiatur.

§. 94.

Ex speciebus societatum particularium specialiores partes Iuris Socialis Vniuersalis conformari possunt.

Generatim SOCIETAS, quae alias societates habet pro partibus suis, est COMPOSITA; quae non composita, est SIMPLEX. In societate composita itaque dantur membra seu socii, quorum singulus est persona mystica; in societate autem simplici non dantur socii, nisi personae indiuiduae. Ad societates simplices referri solent omnes, quae *esse possunt* simplices: qua quidem significatione posita, nec appellantur compositae, nisi illae societates, quae non possunt

possunt non esse compositae, ideoque quae necessario compositae sunt.

§. 95.

Prae reliquis societatum particularium speciebus fere innumeris notatu quam maxime digna est ea, quae appellatur *Ciuitas*. Quum enim vniuersum fere genus humanum in ciuitates dispertitum hodie reperiatur; societas haec inter ceteras est illustrissima, eiusque consideratio foecundissima, atque cognitio eiusdem, ad normam legum naturalium exacta, tum vtilissima tum maxime omnium necessaria. Atque inde promanat *Ius Ciuitatis Vniuersale*, tamquam praecipua Iuris Socialis Vniuersalis pars et species.

Quodsi igitur in peruestigandis societatum particularium iuribus ac obligationibus naturalibus tractatio Iuris Ciuitatis tamquam scopus seu finis primarius constituatur: quae societates ad hanc distinctius cognoscendam pertinent, illae vt, missis reliquis, prius exponantur, quam ad considerandam ciuitatem perueniatur, necesse est. Ciuitas ex familiis, *familia* seu *domus e societate matrimoniali, parentali herilique* est com-

composita. Posteriores societates vel sunt, vel esse certe possunt *simplices*: prior est composita societas, *minor* tamen; si ad ciuitatem tamquam magis compositam referatur. Familia pariter atque illae societates, ex quibus ipsa constituitur, communi nomine appellantur SOCIETATES DOMESTICAE. Vnde concipitur alia Iuris Socialis Vniuersalis pars, *Ius* nempe *Societatum Domesticarum* (Oeconomicum) *Vniuersale.*

§. 96.

Omnis societas quatenus non est pars alterius societatis est in statu naturali §. 91, indeque appellatur *libera*, consequenter consideranda est vt persona libera §. 92. Hinc ad societates liberas erga se inuicem applicari potest Ius Naturale mere tale §. 91, seu societates liberae erga se inuicem vtuntur Iure mere Naturali.

§. 97.

Ciuitas 1) respectu familiarum, ex quibus coalescit, vocatur *societas maior*, soletque omnis societas, familiarum compositum, hoc nomine insigniri; 2) est *societas perpetua*, quippe in po-

ſteritatem familiarum vnitarum perduratura ex earumdem intentione; 3) ciuitas libera ſpeciatim GENS appellatur, generalius vero gens deſignat quamcumque ſocietatem maiorem perpetuam liberam. Patet ergo, gentes erga ſe inuicem regi Iure mere Naturali, & IVS GENTIVM eſſe Ius mere Naturale ad gentes applicatum §. *praec.*

CAPVT VI.

DE

OBLIGATIONE NATVRALI PERFECTA.

§. 98.

Pone obligationem quamdam naturalem ita tibi incumbere, vt, ſi eam violaueris, mihi competat facultas moralis, te ea propter cogendi; hanc obligationem vocare ſolemus perfectam. Ea igitur OBLIGATIO NATVRALIS eſt PERFECTA, quae ſicubi violatur, connexam habet facul-

facultatem moralem alterius hominis cogendi violatorem; ea vero, quae cum tali facultate alterius morali minus est coniuncta, IMPERFECTA appellatur. COGERE alterum *stricte* significat corpus eius inuadere, seu corpori eius malum inferre, et talis coactio etiam *violentia*, *vis externa*, et in sphaera obligationum naturalium perfectarum, *vis* simpliciter appellatur; et quatenus eo fine adhibetur, quo alter, adhuc renitens, obligationi suae satisfaciat, *extorsio* audit. Sed et *latiori sensu* coactionis vocabulum vsurpatur, quod inferius patefiet.

Ergo si qua datur obligatio naturalis, ad quam adimplendam homo hominem vel vi externa adigere, ad quam etiam adhibito medio violento ipsum compellere moraliter potest, cuius implementum extorquere alteri licet; ea est obligatio naturalis perfecta.

§. 99.

Hinc LEX NATVRALIS, quae perfectam continet obligationem, PERFECTA (cogens); quae imperfectam tantum, IMPERFECTA (non-cogens) dicitur. Quocirca lex

naturalis perfecta eſt ea, ſecundum quam actiones ſuas liberas determinare aliquis perfecte obligatur.

Legum naturalium perfectarum ſcientia eſt IVS NATVRALE *ſtricte* dictum (Ius Naturale cogens), nimirum vocabulo *iuris obiectiue* ſeu pro legum complexione ſumto (§. 51.).

§. 100.

Facultas moralis hominis, quae poſita alterius obligatione naturali perfecta ponitur, ſeu quae obligationis naturalis perfectae alterius eſt correlatum, vocatur IVS (*ſubiectiue* ſeu pro affectione perſonae ſumtum) NATVRALE *ſtricto ſignificatu* (§. 44. 61.) ſeu STRICTVM, immo in ſphaera obligationum naturalium perfectarum IVS *ſimpliciter*. Ius itaque naturale hominis eſt facultas eius moralis, cogendi alterum, ſicubi obligationem naturalem violauerit, quemadmodum inuerſa vice obligatio naturalis ea, quae cum iure alterius hominis eſt coniuncta, *obligatio perfecta eſt*.

§. 101.

Ex dictis liquet, poſita lege naturali perfecta poni duo homines, alterum, cui obligatio per-

perfecta incumbit, alterum, cui ius (ſtrictum) competit. Ergo 1) omni obligationi meae naturali perfectae reſpondet ius in altero, & verſa vice omni meo iuri naturali reſpondet obligatio naturalis perfecta in altero, dummodo capax fuerit obligationis §. 89; 2) Ius naturale Cogens definiri poteſt, quod ſit ſcientia iurium atque obligationum naturalium perfectarum, 3) omnis lex naturalis perfecta conſiderari poteſt tum qua *lex iubens*, tum etiam qua *lex permittens*, prouti ſcilicet lex referatur vel ad illum, cui exinde obligatio imponitur, vel ad iſtum, cui inde ius tribuitur §. 90.

§. 102.

Quoniam naturaliter obligor ad me conſeruandum §. 87, ſpeciatimque ideo ad corpus ac vitam meam conſeruandam; mihi competit facultas moralis in ea, ſine quibus conſeruari non poſſum, et facultas moralis, remedia conſeruationis meae adhibendi, remouendique impedimenta §. *ead.* Pone alterum ſuſcipere actionem cum conſeruatione mei pugnantem; enaſcitur mihi facultas moralis, hoc impedimentum meae

conſeruationis remouendi. Pone remoueri non poſſe niſi adhibita in alterum vi; competit mihi facultas moralis, alteri vim inferendi tamquam remedium conſeruationis meae neceſſarium. Ergo datur quaedam facultas moralis naturaliter mihi competens, cogendi eum, qui agit, quae conſeruationi mei aduerſantur; datur quoddam *ius naturale ſtrictum* in ſui conſeruationem cuique competens.

§. 103.

Obligaris naturaliter ad ea non agenda, quae conſeruationi mei aduerſantur §. 89. Haec tua obligatio, ſicubi a te violatur, connexa eſt cum facultate mea morali, vim contra te adhibendi §. praec.; ideoque haec tua obligatio eſt obligatio perfecta, et facultas mea moralis, quae huic tuae obligationi reſpondet, eſt ius §. 100. ſtrictum mihi competens.

Quapropter naturaliter et perfecte obligamur ad ea non agenda, quae conſeruationi alterius aduerſantur, et cuilibet competit ius naturale in ſui conſeruationem. Itaque *exiſtit* quoddam ius natu-

naturale, quaedam obligatio naturalis perfecta et lex quaedam naturalis perfecta: vnde si ratiocinando aliae deducantur leges, iura atque obligationes naturales perfectae; earum complexio et scientia constituet *Ius Naturale Cogens* seu *stricte* dictum. Quamobrem *existit Ius Naturae stricte* dictum, ponendum quippe posito naturali cuiuslibet iure stricto in sui conseruationem.

§. 104.

Vt praescindamus dubitationes, quae circa veritatem legis naturalis perfectae de non agendis iis, quae conseruationi alterius aduersantur, suboriri possunt; monemus, in demonstratione proposita supponi 1) duo homines vsu intellectus instructos, eosdemque secundum *meram humanitatem* seu naturam humanam genericam, quae et quatenus omnibus hominibus est communis §. 10. consideratos, consequenter in *statu naturali* positos §. 91. *remotis* omnibus *factis praeuiis*, quibus forte ab altero aut vtroque horum hominum officium quoddam naturale erga se inuicem praestitum aut violatum fuerit, 2) supponi, alterum *actionem* quamdam *externam* com-

mittere, quae *conſeruationi vitae* vel *corporis* alterius repugnat, 3) vſum violentiae eſſe ad conſeruandam vitam corpusue *remedium neceſſarium*, et 4) nullam exſtare *obligationem moralem maiorem*, quae vſum iuris ſeſe conſeruandi hoc caſu impediat §. 87. Quibus poſitis nihil dubii ſupereſſe exiſtimamus, quin nobis competat facultas moralis veri nominis, ex ipſa naturali ad nos conſeruandos obligatione promanans, cogendi alterum, quo minus peragat, quod coepit, impedire conſeruationem noſtram.

§. 105.

Confirmatur haec theſis de iure in vitae corporisque ſui conſeruationem 1) ex eo, quod Deus, quoniam nobis conceſſit haec dona, neceſſario vult, vt iis obligationi noſtrae conformiter ad perſequendos ſuos fines vtamur, ergo neceſſario etiam vult, vt eadem conſeruemus; 2) quod, qualiscumque etiam Dei in creando homine fuerit finis, illius tamen ipſius finis gratia, cuius cauſſa condidit hominem, etiam velit hominis, hinc vitae corporisque ſui conſeruationem, neceſſe eſt; 3) ex *inſtinctu ſeſe conſeruandi* et

hinc

hinc *fuga* mortis et *interitus*, reliquis nisibus naturae humanae ingenitis vehementiori, qui, si eius vsus ne hoc quidem casu foret permissus, plane esset inutilis.

§. 106.

Homini in hominem naturaliter competit facultas moralis cogendi, quatenus 1) hic agit, quae illius conseruationi aduersantur, et 2) violentiae vsus est remedium conseruationis illius necessarium §. 102. Ex hoc fundamento obligatio naturalis ad ea non facienda, quae conseruationi alterius repugnant, est perfecta: vnde, sicut ex obligatione naturali imperfecta *officium imperfectum*, ita ex hac perfecta obligatione concipitur *officium naturale perfectum* ea non agendi, quae conseruationi alterius contrariantur.

E contrario vero officia naturalia cetera, nimirum officia erga Deum, erga se ipsum et reliqua officia erga alios homines esse nequeunt perfecta, seu ad ea facienda nemo vi adigi ab altero potest. Finge enim Caium te *cogere*, vt Deum colas, vt te ipsum perficias, vt Caii aliusue hominis augeas perfectionem; hoc casu Caius cor-

pus tuum inuadet §. 98, ideoque talia peraget, quae conſeruationi tuae aduerſantur, hinc faciet, quae facere moraliter nequit, et quae non facere ob ius tuum naturale perfecte obligatur §. 103. Etiamſi enim finis Caii hoc caſu fuerit licitus et moraliter bonus, ideoque ipſi quoque in eius media competat facultas moralis; tamen haec non vltra actu competit, quam quantum competere moraliter poteſt, ideoque quatenus haec media per ſe non ſint illicita §. 88, conſequenter ad media coactiua, quippe per ſe prohibita, haec facultas moralis extendi nequit.

Quamobrem officia naturalia erga Deum, officia erga te ipſum et reliqua officia erga alios, quae ſub officio de non impedienda alterius conſeruatione haud continentur, ſi a te violentur; alteri tamen facultatem te cogendi non porrigunt, ſeu extorqueri tibi nequeunt, ideoque haec officia omnia, reſpectu hominum erga ſe inuicem, ſunt officia dumtaxat imperfecta. Officia erga alios imperfecta vocantur OFFICIA HVMANITATIS (amoris, beneuolentiae), quibus opponuntur OFFICIA NECESSITATIS, hoc eſt officia erga alios perfecta. §. 107.

§. 107.

Quoniam itaque officia naturalia erga Deum, erga ſemetipſum et humanitatis ſunt imperfecta: *obligamur* moraliter et *naturaliter*, ad haec officia nemini extorquenda. Quae obligatio confirmatur quoque ex ea, qua obſtringimur ad *ſocialitatem* colendam §. 83.84, hinc ad abſtinendum ab omni quantum fieri poteſt, violentia; quum ex adhibita hoc caſu vi plus mali in genus humanum redundaret, quam ex alterius non-obſeruantia alicuius officii imperfecti metuendum eſt. Patet vero etiam, hanc naturalem ad dicta officia nemini extorquenda *obligationem* ſimul eſſe *perfectam*, quippe cuius violatio repugnat iuri alterius ſtricto in ſui conſeruationem §. praec.

§. 108.

Atque ita enaſcitur conceptus *iuris naturalis perfecti*, quod *latiſſimae eſt extenſionis*, nempe competens ad agenda ea omnia, quae conſeruationi alterius non repugnant. Quod quidem ius *per ſe* conſideratum tale non ſemper eſt, quippe a facultate morali ſaepe abhorrens et peccatum etiam continens; ſed *reſpectu tui* tamen

tamquam

tamquam tale conſiderandum et a te agnoſcendum, quum agnoſcenda a te ſit obligatio tua naturalis perfecta, ad alterum in his agendis per vim non impediendum, conſequenter et agnoſcendum huius obligationis correlatum *ius* alterius *perfectum*, quod inde ipſi per indirectum exoritur. Et tibi quidem ſufficere poteſt, obligationem hanc tuam eſſe obligationem moralem veri nominis, voluntati Diuinae, Eius finibus, et bono atque ſaluti Societatis Vniuerſalis, hinc officiis ſocialitatis conſentaneam.

§. 109.

Ius Naturale Cogens eſt ſpecies Iuris Naturalis §. 51, ergo eſt Ius Diuinum §. 63, hinc poenis Diuinis armatum §. 54, in quo Iuri N. Cogenti cum I. Nat. latius dicto conuenit; praeterea vero etiam metu coactionis ab eo homine, cuius ius naturale violatur, inferendae munitum, in quo Ius N. ſtrictum a reliquo Iure Naturali eſt diſtinctum §. 106.

§. 110.

Itaque transgreſſionem legis naturalis perfectae imputabilem non tantum imputat *Deus*

qua

qua legislator *puniendo*, ſed imputare etiam *cogendo* iſte *homo*, cuius violatum eſt ius, moraliter poteſt. Imputatio, cuius auctor eſt Deus, vocatur IMPVTATIO IN FORO DIVINO (poli, conſcientiae, imputatio Diuina); cuius autem homo, IMPVTATIO IN FORO HVMANO (ſoli, foro externo, imputatio humana). Imputatio in foro Diuino infinite eſt praeſtantior imputatione in foro humano, 1) quoniam illa etiam ad *actus* mentis humanae *internos* §. 1, ad mere cogitata, extenditur; quum contra imputatio humana omnis ad ea, quae cognoſci ab altero homine poſſunt, conſequenter ad actus certos *externos* reſtringatur: 2) diuina numquam non vera, efficax, factis proportionata; humana ex aduerſo ſaepe erronea, inefficax, minus proportionata.

CA-

CAPVT VII.

DE

OBLIGATIONE EXTERNA.

§. III.

Obligatio naturalis perfecta habet hoc commune cum obligationibus, quae in ſphaera legum poſitiuarum humanarum cogitantur, quod vtraque obligatio conſiſtat in obligatione iuridica §. 65, qua violata alteri homini competit facultas, vim licite adhibendi contra eum, qui violat; hinc etiam obligationis violatae vtriusque detur imputatio eiusdem generis in eodem foro ſcilicet humano ſeu foro externo. Ex qua conuenientia obligationis naturalis perfectae cum obligatione poſitiua humana, ſi diſceſſeris ab iis, quae in vtraque obligatione iuridica ſunt diuerſa, concipi poſſunt plures notiones, atque inde erui propoſitiones generaliores, Iuri Naturali ſtricto cum Iuribus Humanis communes, hinc quum ad Ius Naturae Cogens, tum etiam ad Ius omne

mne Humanum, tamquam ad ſpecies vnius eiusdemque Iuris generatioris, applicabiles.

§. 112.

Obligatio iuridica, qua violata alteri homini competit facultas, vim licite adhibendi contra eum, qui violat, ſeu breuius, qua homo homini tenetur (perfecte), vocatur OBLIGATIO EXTERNA: quae ergo diſtingui poteſt ab obligatione, qua homo tenetur Deo, hoc eſt ab obligatione morali et conſcientiae §. 43; quae poſterior, ſiue ſit naturalis ſeu poſitiua, in oppoſitione ad obligationem externam appellatur OBLIGATIO INTERNA. Poſſunt tamen in eadem actione obligatio et interna et externa vna conſiſtere; licet et dentur actiones, ad quas tantum interne, et aliae, ad quas tantum externe obligamur, ſeu quibus *obligatio* vel *mere interna* vel *mere externa* ineſt.

§. 113.

Ex his obligationis externae et internae notionibus concipitur idea *officii* §. 65. *externi* et *interni*, *legis iuridicae* §. 63. *externae* et *internae*, vt et *Iuris*, pro complexu et ſcientia legum iuridicarum ſumti, *Externi* ac *Interni*.

§. 114.

§. 114.

Clarum etiam nunc eſt, quid dicatur *externe* atque *interne licitum* vel *illicitum* §. 26. 109. Facultas, aliquid externe licite agendi, vocatur IVS EXTERNVM ſeu IVS *ſimpliciter*, in ſphaera nempe legum externarum Iurisque Externi, ſumto vocabulo iuris ſubiectiue pro facultate perſonae, quod eſt correlatum obligationis externae alterius. Differt itaque *ius externum a iure interno*, quemadmodum lex externa a lege interna, conſiſtitque ius externum in facultate, vim licite adhibendi contra eum, qui obligationem quamdam externam erga nos violat. Vocatur ius externum ſubinde etiam *facultas moralis*, licet hoc nomen ſaepius haud mereatur; ſaltim eo ſignificatu, vt diſtinguatur a *facultate phyſica*, legi externae contraria, et quoniam ius externum atque facultas moralis eumdem in foro humano habere ſolent effectum. Atque eodem ſenſu etiam in hoc foro accipienda *neceſſitas*, *poſſibilitas*, *impoſſibilitas* MORALIS, ideoque & id, quod vocare ſolemus MORALITER *neceſſarium*, *poſſibile*, *impoſſibile*,

vt

vt et *impedimentum morale* et id genus alia. Praeſtaret vero ad praecauendam notionum confuſionem in locum termini: *moralis*, ſurrogare in ſphaera legum externarum terminum: *legalis*, vt, quemadmodum idea differunt, ita etiam eius ſigno et nomine diſtinguantur facultas, neceſſitas, impedimentum cet. *morale*, h. e. vi legis internae tale; a facultate, neceſſitate, impedimento cet. *legali*, nempe vi legis externae tali.

§. 115.

Patet porro ex dictis, quid ſit EXTERNE *obligatorium* § 26, quid EXTERNE *debitum* ſeu *iuſſum* § 47, *praeceptum* vel *prohibitum* §. 46, *permiſſum* et *indifferens* §. 26. Actio externe ſeu in foro humano indifferens vocatur ACTVS MERI ARBITRII (res merae voluntatis, ius merae facultatis, actio, quae pro arbitrio ſeu pro lubitu dirigi poteſt).

§. 116.

Actio externe illicita appellatur etiam ACTIO (externe) INIVSTA, licita autem IVSTA (externe). Atque hinc, qui facti iniuſti reus eſt, INIVSTVS; ſin minus, IVSTVS vocatur. Ergo 1) actio iniuſta inuoluit transgres-

ſionem legis §. 34. externae, & violationem obligationis §. 34. externae, 2) iniuſtitia aeque ac iuſtitia mox actionis mox perſonae deſignat affectionem, 3) *Iuſtitia* (*externa*, qualis nempe in ſphaera legum externarum et in foro humano cogitatur, et quae in hoc foro iuſtitia *ſimpliciter* dicitur) in ſola abſentia ſeu negatione iniuſtitiae externae conſiſtere poteſt, ideoque haec iuſtitia, qua perſona praedicatum, non concipitur vt virtus, nec conſequenter etiam iuſtitia, qua facti qualitas, cogitatur vt virtutis effectus: quippe *iuſtitia* perſonae *externa* non ponit neceſſario virtutem, vtut nec eam excludat; quum contra *iuſtitia* perſonae *interna*, qualis nempe in foro conſcientiae requiritur, omnino ponat atque inuoluat virtutem §. 60. 61, 4) *lex externa* concipi poteſt vt norma iuſti, et *Ius Externum* tamquam ſcientia iuſti atque iniuſti.

§. 117.

Factum itaque *iniuſtum* (externe tale) conſiderari poteſt vt determinata ſpecies facti minus recti §. 26. 34. Hinc 1) factum iniuſtum vel continet reatum, vel minus continet: illud formali-

maliter est iniustum et imputabile in demeritum; hoc materialiter dumtaxat iniustum et minus imputabile, atque ideo *factum* in foro externo *inculpabile*, 2) *Factum iniustum*, cui reatus inest, seu *culpabile* est vel *dolosum* vel *culposum* (stricte d.) §. 36. Factum iniustum dolosum vno verbo MALEFICIVM appellare ab vsu loquendi non abhorret.

§. 118.

Actio iniusta nuncupatur etiam LAESIO, quae itaque consistit in transgressione legis externae seu violatione obligationis externae §. 116. Quum vero omnis eiusmodi obligatio alicuius ponat ius correlatum in altero; sequitur, vt omni laesioni insit violatio iuris alterius hoc est INIVRIA *late* dicta, et sic inuersa vice. Porro *laesio* et *iniuria*, in facto considerata, alia est *commissiua*, alia *omissiua* §. 7: vtraque vel reatum inuoluit vel minus, et priori casu iterum vel culpam vel dolum continet §. *praec.*; vnde *laesio* et *iniuria* vel *moralis* est vel *non-moralis*, prior vero vel *culposa* vel *dolosa*.

§. 119.

Si tibi ius (externum) competit, quodam obiecto vtendi, eiusdemque ab vſu alios excludendi, illud obiectum in diſciplinis iuridicis per excell. *tuum* appellatur. Eſt vero *vti* generatim vtilitatem actuare, et *excludere* alterum *ab vſu* efficere, vt alter aliquo obiecto vti nequeat, ſeu vt ab eius vſu abſtineat, ſeu impedire alterum, quo minus eo vtatur. Itaque id, quo quis vti excluſis aliis iure poteſt, eſt intuitu eiusdem perſonae SVVM, atque pro diuerſo perſonarum reſpectu vocatur *meum*, *tuum*, *alienum*, *noſtrum*, *veſtrum*.

Praedicatur vero *ſuum* etiam de ipſo *iure*, quod alicui competit, certo obiecto excluſis aliis vtendi, immo etiam omne ius per ſe ſpectatum, quod quis habet cum aliorum excluſione, vocatur *ius ſuum*. Atque tum *vſus* iuris ſui idem eſt quod exercitium iuris, ita vt tu dicaris *iure tuo vti*, ſi facis, ad quod faciendum tibi excluſis aliis ius competit; et *ab vſu iuris tui alterum excludere*, ſi impedis, quo minus alter faciat, quod facere vi iuris tui prohibetur.

§. 120.

§. 120.

Si quis agit, quod repugnat iuri alterius in id, quod eſt ſuum, vel ſimpliciter, quod iuri ſuo alterius aduerſatur, is alteri SVVM NON TRIBVIT, IVS SVVM ALTERIVS TVRBAT. Pertinent huc etiam modi loquendi: *inuadere, ſubtrahere, imminuere, auferre alienum* ſ. *ſuum alterius*. Qui minus tale quid agit, vel agit, quod tali iuri alterius minus aduerſatur, is alteri SVVM TRIBVIT, IVS SVVM TRIBVIT; quo etiam pertinent locutiones: *relinquere alteri ſuum*, *abſtinere ab alieno*. Vtrumque et *commiſſiue* et *omiſſiue* fieri poteſt.

§. 121.

Quoniam poſito iure meo externo ponatur obligatio in altero externa neceſſe eſt §. 114; patet, quod poſito obiecto aliquo tamquam meo vel poſito iure meo, alteri obligatio incumbat, ea non agendi, quae meo iuri repugnant. Vnde deducitur obligatio ad *ſuum* (et ius ſuum) *cuique tribuendum*, ad *abſtinendum ab alieno*, ad *nemini ius ſuum auferendum*, ad *neminem in vſu iuris ſui impediendum*, tamquam principia

generalia obligationum externarum Iurisque Externi. Ergo omnis actus, quo alteri non tribuitur, quod ſuum eſt, quo alteri ius ſuum aufertur, quo in iure ſuo turbatur, eſt iniuria, laeſio, actio iniuſta §. 118. 116, et e contrario iuſtitia perſonae externa in mera eius abſtinentia ab alieno conſiſtere poteſt §. 116.

§. 122.

PROPRIETAS mea *latius* dicta nihil aliud eſt, niſi ius mihi competens, excludendi alterum ab vſu eius, quod eſt meum, et hinc ab actu, quo ius meum turbatur §. *praec*, atque id, in quod alicui competit proprietas, eſt ipſi PROPRIVM *latius d.* In omne ſuum competit ius tale excludendi (ius prohibendi) §. 119, ideoque omne ſuum continet proprietatem et eſt proprium. Hinc, quid *ius proprium* ſit, et omne ius ſuum eſſe ius proprium atque continere proprietatem intelligitur §. *ead.*

§. 123.

Vt aliquod obiectum praedicari queat ſuum Caii, requiritur, 1) vt ſit vtile Caio, 2) vt Caius vtendi eo ius habeat, ideoque illo vti

lege

lege (externa) non prohibeatur, 3) vt Caius alium ab vſu eiusdem obiecti excludere moraliter poſſit (nulla lege externa vetante), 4) vt eo caſu, dum alter impedit Caium in vſu vel excluſione, Caius cogere moraliter poſſit alterum, ne impediat.

§. 124.

Hinc itaque patet, *Suum* Caii eſſe obiectum vtile, circa quod Caio ius vtendi competit; alteri vero obligatio, ab eius vſu ſe abſtinendi, incumbit. Immo quoniam omne ius pro fine eius, cui illud competit, vtilitatem quamdam, qualiscumque ea ſit, habeat neceſſe eſt; *ſuum* definiri etiam poteſt per id, in quod alicui competit ius proprium §. *praec.* et 122.

§. 125.

Licet vero omne SVVM ſit proprium §. 122, poteſt tamen proprium eſſe vel alicui ſoli, vel pluribus ſimul, atque tunc priori caſu vocatur PROPRIVM *ſtrictius*, poſteriori COMMVNE. Hinc PROPRIETAS mea (iuris mei, τὸ meum) *ſtrictius* dicta eſt, quae mihi ſoli com-

petit; *communio* vero (iuris, τὸ ſuum) eſt proprietas *latius* dicta pluribus ſimul competens.

§. 126.

Malum laeſi ex laeſione, hoc eſt, quod ſentit laeſus ex actione laedentis qua talis, appellatur DAMNVM. Ergo 1) ex omni laeſione oritur damnum laeſo homini §. 123; 2) malum, quod alicui ita oritur, vt qua effectus actioni alterius tribui non poſſit, non eſt damnum, ideoque non datur *damnum caſuale*; 3) malum, quod quidem alicui ex actione alterius, non vero iniuſta, non laeſione oritur, pariter ad damna non referendum. Talia mala *iacturae* et *detrimenti* nomine inſigniuntur.

§. 127.

Damnum eſt laeſionis effectus in laeſo §. *praec.*: hinc ex ſpeciebus cauſſae ſuae diſpeſcitur 1) quoad perſonam damnum dantem ſeu inferentem, in MORALE (quod in Iure Poſitiuo paſſim etiam *damnum* appellatur *iniuria* ſignificatu paululum anguſtiori §. 118. *datum*), et NON-MORALE (citra iniuriam datum) morale in CVLPOSVM et DOLOSVM; 2) quoad

factum

factum et legem in DAMNVM COMMISSIONIS et OMISSIONIS.

§. 128.

Laeſo in laedentem ius eſt, vt ius ſuum a laedente non auferatur, ideoque damnum ipſi non inferatur, conſequenter, ſi quod datum fuerit, vt illud ceſſet; alias enim ius ſuum eſſet inutile. Ergo huic iuri laeſi reſpondet in laedente obligatio (externa) efficiendi, quo damnum a ſe alteri datum ceſſet, quae vocatur OBLIGATIO ad REPARANDVM DAMNVM. Poſita igitur laeſione ponitur *obligatio* laedentis *ad reparandum damnum* ei, cui eſt datum, ideoque laeſo competit *ius exigendi reparationem damni* ſibi a laedente illati.

§. 129.

Poſſemus plures adhuc alias notiones propoſitionesque, Iuribus Humanis cum Iure Naturali communes, ex ea, quam ſtabiliuimus, Iuris Externi notione deriuare. Sed quum, quae reliqua ſunt, in ipſa Iuris Naturalis tractatione tamen ſint executienda; eademque, ſi ſuo loco probe hauſta fuerint, facile mediante abſtractione logica

extendi, atque ita ad vſum omnis Iuris Humani transferri poſſint; vt repetitiones euitemus, atque vt ne videamur in generalioribus & mere hypotheticis nimis occupati: dicta ſufficere poſſunt. Id vero ex iis, quae deduximus, obſeruare non pigebit, *finem* omnis Iuris Externi primarium et vltimum in eo poſitum eſſe, vt *ius ſuum cuique a quoque tribuatur*; *medium* vero ad hunc finem conſequendum conſiſtere in *metu coactionis* tamquam motiuo, quo quisque obligatur ad abſtinentiam ab alieno; tum vero, ſi hic metus non ſuffecerit ad hunc effectum producendum, in ipſo *actu coactionis* ſeu *vſu iuris cogendi*, vt alter obligationi erga me ſuae ſatisfaciat, et mihi ius meum tribuatur. Vnde quaenam ſit *vis obligandi* legum externarum, quaenam *vis imputandi* §. 42, illamque eſſe earundem vim ſeu *virtutem principalem*, hanc *ſubſidiariam*, intelligitur.

CAPVT

CAPVT VIII.

DE

OBLIGATIONE NATVRALI PERFECTA

QVA

OBLIGATIONE EXTERNA.

§. 130.

In sphaera Iuris Naturalis Cogentis *actio illicita*, *iussa*, *praecepta*, *prohibita*, *permissa*, *iniusta*, *laesio*, *iniuria*, *suum*, *proprietas*, *damnum* et reliqui termini Iuris Externi cogitantur, quatenus *vi legis naturalis perfectae* tales sunt: vnde his terminis in Iure Naturali additum: *naturaliter* et *naturale* dandum, vt distinguantur ab iis, qui in Iure Externo positiuo occurrunt, atque ibidem cogitantur, quales *vi legis externae positiuae* sunt. Ita ex. gr. laesio, quae vi legis naturalis perfectae talis est, *laesio* est NATVRA-

LIS; malum laesi e laesione naturali *damnum* est NATVRALE; id, in quod alicui competit ius proprium naturale, est *suum* NATVRALE; quidquid per legem naturalem perfectam licet, prohibitum, permissum, iniustum est, id NATVRALITER *licet*, *prohibitum*, *permissum*, *iniustum* est. Si vero hoc additum terminorum Iuris Externi in tractatione Iuris Naturalis Cogentis non semper explicite adponitur, tamen subintelligendum est.

§. 131.

Quodsi quid igitur recta argumentandi ratione, e lege naturali de aliorum conseruatione non impedienda, deduci potest tamquam *suum*, *laesio*, *damnum* cet., ad illud etiam principia harum notionum in Iure Naturali Cogenti applicari posse clarum est. Et quum a genere ad speciem certa valeat consequentia; intelligitur, quatenus tamquam principia Iuris Naturalis, et speciatim tamquam principia obligationum naturalium perfectarum seu tamquam leges naturales perfectae, admittendae sunt propositiones istae: *Neminem laede* §. 118, *ne sis iniustus*, *cole iustitiam* §. 116, *nemi-*

neminem iniuria affice §. 118, *ſuum cuique tribue* §. 124, *nemini ius ſuum aufer*, *abſtine te ab alieno* §. 121, *nemini damnum infer*, *damnam datum repara* §. 128.

§. 132.

Inde vero conficitur, pari ratione tamquam principia Iuris Naturalis. ſpeciatimque tamquam principia iurium naturalium ſtrictorum, admittendas eſſe ſequentes theſes: *Cuilibet competit ius naturale ſtrictum*, ne *laedatur*, ne *iniuria afficiatur*, vt *ſuum ſibi tribuatur*, ne *ius ſuum ſibi auferatur*, ne *in vſu iuris ſui turbetur* vel *impediatur*, ne *ſibi damnum inferatur*, vt *damnum datum* ſibi a dante *reparetur* §. *praec.* Atque ita ius naturale cuiusuis in corporis vitaeque ſuae conſeruationem, quod euictum dedimus §. 102. 105, per hypotheſin generalius cogitari poteſt tamquam *ius naturale* cuiuslibet *in conſeruationem* omnis eius, quod eſt ipſius *ſuum naturale*, atque in conſeruationem omnium *iurium ſuorum naturalium.*

§. 133.

Quum itaque finis Iuris Naturalis Cogentis, qua Iuris Externi, eo tendat, vt nos atque id omne,

quod

quod naturaliter nostrum est, conseruemus, hinc vt ne naturaliter laedamur; mediumque huius finis obtinendi positum sit in coactione, quam vi iuris nostri naturalis licite contra laedentem adhibere possumus §. 103. 129: deducitur inde *ius naturale*, ei, qui nos laedit, vim opponendi, hoc est SESE DEFENDENDI; ideoque etiam *ius*, vim eius, qui nos laedit, vi repellendi, seu *conanti laedere* RESISTENDI; immo etiam *ius non patiendi*, vt alter nos *laedere* actu *incipiat*, ideoque *ius*, ei, a quo nobis *laesio imminet* seu probabiliter metuenda est, et breuius *laesionem intentanti* vim opponendi, eique resistendi.

§. 134.

Quumque porro is, cui laesio imminet, constitutus sit in *periculo*, quippe quod denotat imminentis mali statum; periculo autem opponatur *securitas*, status a periculo vacuus: consequitur ex iure naturali contra eum, qui laesionem intentat §. *praec.*, *ius naturale* cuiuslibet ad *periculum* (laesionis) vi *propulsandum*, et *securitatem* sibi (a laesione) *asserendam*, quod vno verbo appellari solet *ius naturale* SECVRI-

TA-

TATIS, atque consistit in iure vim opponendi ei, qui nobis laesionem intentat.

§. 135.

Et quum coactio seu violentia eam ob rationem, quia et quatenus est remedium necessarium ad nos conseruandos, sit naturaliter licita §. 106; sequitur vt ob eamdem rationem et eatenus etiam liceat, quidquid suum est laedentis, inuadere atque auferre. Atque ita concipitur notio *coactionis*, *vis*, *violentiae* generalior et *latius dictae* (conf. §. 89.), qualis in omni Iure Externo cogitatur, quum scilicet denotet omnem *actum*, quo *suum* seu *ius suum alteri non tribuitur*. Itaque *coactio* et *vis* hoc significatu latiori, qua actus laesi in laedentem ad se suumque conseruandum, naturaliter est licitus et iustus; reliqua vero omnis, hoc est ea, quae exercetur in non - laedentem, naturaliter illicita et iniusta est.

§. 136.

De cetero quoniam *coactio* spectari potest tamquam *remedium durius*; per se patet, *leniorum mediorum* vsum ad se suumque conseruandum

dum non ſolummodo naturaliter eſſe permiſſum, ſed etiam, quatenus ad hunc finem et ius ſuum conſequendum ſufficit, eſſe praeceptum & violentiam prohibitam. Quamobrem ius, quod naturaliter competit cogendi laedentem, ſimul comprehendit ius, quibuscumque mediis lenioribus et qualibet minorum malorum illatione ſe ſuumque contra laedentem tuendi.

§. 137.

Contra laedentem violentia iuſte exercetur. Quodſi laeſio cogitatur vt moralis §. 118, conſequenter vt moraliter imputabilis in poenam; violentia, qua vtimur contra laedentem, conſideranda eſt vt ſpecies imputationis in poenam & quidem efficacis. Atque ita euidens eſt, Ius Naturale Cogens conſtituere factis naturaliter iniuſtis imputabilitatem in coactionem, a laeſo homine exſequendam, tamquam determinatam poenarum naturalium §. 109. ſpeciem, Iurique N. Cogenti propriam: quum cetera officia naturalia extorqueri nequeant, hinc et cetera facta naturaliter praua coactioni alterius hominis non ſubſint §. 106. 109.

§. 138.

§. 138.

Datur tamen etiam coactio naturaliter iusta, quae non est imputatio. Sume laesionem non-moralem §. 118. seu factum iniustum reatu vacuum, ex gr. eius, qui vsu intellectus destituitur, vel qui versatur in casu collisionis officii perfecti cum officio morali maiori §. 104. Quoniam tale factum est inculpabile § 117, imputari in poenam nequit. Ast vero nihilominus laeso hoc casu violentiam, tamquam remedium sese conseruandi necessarium, adhibere licet, et ius eius cogendi saluum perstat, quippe quod non ex actione laedentis moraliter mala, sed ex obligatione laesi ad se conseruandum promanat §. 102. Quamobrem datur coactio naturaliter iusta, quae ad imputationem referri nequit.

§. 139.

De cetero Ius Naturale Cogens a reliquo Iure Naturali distat quam longissime hoc nomine, quod custodia officiorum conscientiae et studium virtutis praemiis a Diuina Prouidentia sperandis maximis et certissimis munita intelligatur §. 56: contra vero ea officiorum dumtaxat externorum custodia iustitiaeque mere externae studium, 1) *respectu Dei* non tantum praemiis indigna sit, sed etiam, quatenus cum negle-

ctione virtutis & officiorum conscientiae copulata est, poenis diuinis maximis et certissimis subsit §. 56; 2) *respectu aliorum* hominum vero, quatenus custodia ista tamquam nuda abstinentia ab alieno et a factis externe iniustis consideratur, nihil tribuat nisi vacuitatem imputabilitatis in coactionem seu exemptionem a poena Iuris Naturalis cogentis, hoc est IMPVNITATEM. Atque eatenus Ius Naturale Cogens praemiis destituitur.

§. 140.

Vltimo loco de *collisione officiorum*, qua Ius Naturale Cogens spectat, quaedam exponenda restant. Quodsi *officium necessitatis*, quod vni debetur, colliditur cum *officio amoris*, quod alteri debetur; vincet prius, quatenus ceteris paribus lex, quae iure cogendi alterius munitur, fortior ea est, quae hoc iure destituitur §. 21.

§. 141.

Datur vero etiam collisio *officii necessitatis* cum *vitae conseruatione*, vbi scilicet officium necessitatis expleri nequit sine iactura vitae eius, qui ad officium tale faciendum obligatur. Qui quidem status hominis, quatenus in collisione officii necessitatis cum vitae suae conseruatione versatur, vocari solet STATVS EXTRAORDI-

NA-

NARIVS (irregularis ſtatus, extrema, vltima, ineluctabilis neceſſitas, extremum periculum); cui opponitur STATVS ab iſtiusmodi colliſione vacuus, ORDINARIVS (regularis).

§. 142.

Quoniam vita hominis eſt perfectio eius fundamentalis, quippe qua ſublata tolluntur omnes reliquae, quaecumque fuerint, perfectiones, quibus in hoc orbe terrarum inſtructus eſt, ceſſatque adeo ipſa eius humanitas; iactura vitae non poteſt non conſiderari tamquam malum maius reſpectu iacturae plurium aliarum perfectionum humanarum. Atque eatenus obligatio ad conſeruandam vitam ſeu ad mortem atque interitum effugiendum fortior eſt obligatione ad officia neceſſitatis facienda, et lex: *ne pereas*, maior eſt lege: *ne vioies officia perfecta*, conſequenter in colliſione illa vincit, et haec ipſi cedit. Clarum itaque eſt, officia perfecta admittere aliquam in ſtatu extraordinario exceptionem, hinc admittere quamdam latitudinem moralem §. 57. Atque eatenus verum eſt: *Neceſſitas non habet legem*, et *omnis honeſta eſt ratio expediendae ſalutis*.

§. 143.

Quamobrem homini in ſtatu extraordinario conſtituto naturaliter competit quaedam facultas moralis, negligendi officium perfectum, vt ne pereat, quae vocatur FAVOR NECESSITATIS.

§. 144.

Probe tamen obſeruandum, ad fauorem neceſſitatis prouocari non poſſe, vbi non exiſtit ſtatus ille extraordinarius, hinc vbi 1) non ipſius *vitae*, ſed alius dumtaxat perfectionis minoris amiſſio, cum *officii perfecti* expletione copulata eſt, aut 2) vita et officium perfectum non ita colliduntur, vt, niſi hoc violetur, vita conſeruari nullo modo poſſit, hoc eſt niſi talis officii neglectio interitus euitandi ſit *remedium neceſſarium.*

Quare nec *apparens* et *opinatus* dumtaxat *ſtatus extraordinarius* locum dat neceſſitatis fauori; nec opus eſt ad eumdem prouocare, vbi de *officio humanitatis* expediendo agitur; aut vbi *contra laedentem* vita tuenda eſt, quod vis laeſi in laedentem non eſt officii violatio, ſed *iuris ſui exercitium* §. 135.

§. 145.

Ceterum, quoniam neque hac, quam vivimus, vita felicitas ſumma continetur §. 73, neque

que in eius conseruatione vltimus Dei finis poni potest §. 60, hinc nec obligatio ad vitam hanc conseruandam est suprema, sed aliis obligationibus naturalibus fortioribus omnino subordinata §. 60: fauor quoque necessitatis hac lege naturali restringitur: *quatenus obligatio maior non obstat*. Vnde patet, fieri posse, vt officium perfectum vincat obligationem ad vitam conseruandam, vbi scilicet illud cum obligatione quadam maiori reperitur copulatum.

§. 146.

Ex dictis itaque intelligitur, quatenus detur fauor necessitatis, et quatenus eius vsus sit moraliter et naturaliter licitus, hoc est voluntati Diuinae, quoad sola ratione cognosci potest, non contrarius. Atque eatenus fauor necessitatis ad *iura* hominis *moralia* et *naturalia* latius dicta §. 87. recte refertur.

§. 147.

Quia tamen vsu fauoris necessitatis officium perfectum, ideoque ius alterius naturale strictum violatur; omnis actio, quae vi huius fauoris suscipitur, pertinet ad actiones iniustas et ad *laesiones* §. 130. Quare fauor necessitatis respectu *Iuris Naturalis Externi* et respectu

ctu *eius*, *contra quem* exercetur, *ius* appellari nequit, quin potius huic tamquam laeso competit ius resistendi, seque suumque defendendi §. 133, et damni sibi dati reparationem exigendi §. 132. Ast sufficere potest, quod actio eiusmodi ex fauore necessitatis suscepta sit laesio a reatu vacua, quae moraliter imputari nequit, vno verbo, *laesio non-moralis* §. 117. 118; quum ob maiorem obligationem minor, quoad colliduntur, suspendatur, atque impedimentum morale obstet, quo minus defectus rectitudinis facti, qui in hoc casu deprehenditur, suppleri possit.

1. Ergo status extraordinarius ex *officio perfectum officium imperfectum*, quod quibusdam videtur, *non efficit*.

2. Quid vero differentiae laesionem inter moralem et non-moralem ratione *effectus iuridici* intercedat, in ipsa *Iuris Naturalis* tractatione *Sect.* III. ostendetur.

IN-

INDEX
NOTIONVM,
quae in Prolegomenis Iuris Naturae continentur.

A.

Abusus facultatum suarum §. 38
Actio commissiua 7
externa 1
ext. debita
ext. iussa
obligatoria
permissa
praecepta
prohibita } 115
honesta 61
humana 7
illicita 26
indifferens 26
inhonesta 61
iniusta (externe) 116
interna 1
inuita 40
iusta (externe) 116
libera 7
libera commissiua et omissiua 7 19 *not.*
libera ratione determinationis et exsecutionis 8 *not.*
Actio licita 26
mere naturalis 8
minus recta 26
moralis 46
moraliter bona 46
debita 47
indifferens 46
illicita 46
iussa 47
licita 46
mala 46
necessaria late 11
stricte 44
obligatoria 46
praecepta 46
prohibita 46
negatiua 7
obligatoria 26
omissiua 7. 19 *not.*
permissa 26
physice necessaria 8
positiua 7

Actio praua 46
priuatiua 7
recta 26
Actus meri arbitrii 155
Aeternitas obligationis naturalis 67
Alienum 119. 124
Animae hum. facultas appetitiua 2
eaque inferior et superior 3
Animae hum. facultas cognoscitiua 2
eaque inferior et superior 3
Animae hum. imperium in se ipsum 9. *not.*
regimen in corpus 9. *not.*
Anomia 34
Arbitrium 6
liberum 6
Atheus 76
Auctor 27
Auctoritas legis iuridicae 74

B.

Beatitudo 24
Bonum morale seu moraliter bonum 68
46
Bonum physicum 68
physi um positiuum & priuatiuum 68

C.

Caussa impulsiua 11
Caussa libera 27
Coactio late 135
Coactio et cogere stricte 98
Collisio legum 25
Commune 125
Communio iuris 125
Concaussa facti 31
Concurrere ad factum 31
Conscientia moralis 70
eaque bona et mala 70
Conscientiae obligatio 43
Conscientiae officium 47
Consociatio 82
Corpus morale 92
Corpus mysticum 92
Culpa late 35
stricte 36

D.

D.

Damnum 126
citra iniuriam datum, commissionis, culposum, dolosum, iniuria datum, morale } 127
naturale 130
non-naturale 127
Damnum reparare 128
Debitum (actio debita)
externe 115
moraliter 47
Defectus rectitudinis facti vincibilis et inuincibilis 34
Defendendi se ius naturale 133
Deista 76
Demeritum 28
Diligentia 38
Dolus (pro reatu sumtus s. malus) 36

E.

Error vincibilis et inuincibilis 37
Exceptio a lege 25
Excludere alterum ab vsu alicuius obiecti et ab vsu iuris sui 119
Existimatio 72
bona et mala 72
Externe debitum, indifferens, iussum, obligatorium, permissum, praeceptum, prohibitum } 115
Extorsio stricte 98

F.

Factum commissionis 7
Factum 7
externe culpabile, culposum, dolosum, inculpabile, iniustum, iustum } 117
in genere culpabile 35
culposum 36
dolosum 36
excusabile 35
inculpabile 35
inexcusabile 35

Factum liberum 7
omissionis 7. 19. *not.*
Factum stricte 7
Facultas animae appetitiua 2
eaque inferior et superior 3
Facultas animae cognoscitiua 2
eaque inferior et superior 3
Facultas legalis 114
Facultas moralis 44
Fauor necessitatis 143
Felicitas hominis 24
interna et externa 24

G.

Gens 97

H.

Honestum 61
Humanitas 10

I.

Ignorantia vincibilis et inuincibilis 37
Illicitum externe 114
in genere 26
interne 114
Illicitum Iure Naturale stricto 130
moraliter 46
naturaliter 61
Immutabilitas obligationis natur. 67
Impedimentum legale 114
morale 44
physicum 44
Imperfectio hominis moralis 69
Impossibile legaliter 114
moraliter 44
Impossibilitas legalis 114
moralis 44
Impunitas 139
Imputabile factum 29
Imputabilitas facti 29
Imputatio 27
Diuina 110
facti et iuris 29. *not.*
in foro conscientiae externo humano interno poli et soli } 110
Imputatio in praemium et in poenam 28
Imputatiuitas facti 29

Indif-

Indifferens externe 115
moraliter 46
Indifpenfabilitas obligationis natur. 67 *not.*
Infelicitas hom. 24
interna et externa 24
Inhoneftum 61
Iniuria (late dicta) commiffiua, culpofa, dolofa, moralis, non-moralis, omiffiua } 118
Iniuftitia (externa) perfonae 116
Intellectus 4
Iniufta (externe) actio 116
Iuffum externe 115
moraliter 47
Ius obiectiue fumtum 63
Diuinum 63
Externum 113. 116
Gentium Vniuerfale late d. 97
Humanum 63
Internum 113
Ius Naturale Cogens 99
Naturale late 51
Ius Naturale late
aeternum 67
Gentium 97
immutabile 67
indifpenfabile 67. *not.*
mere tale 91
neceffarium 67
Oeconomicum 96
Societatis Vniuerfalis 83
focietatum domefticarum 95
focietatum particularium 91
vniuerfale 67
Ius Naturale ftricte 99
Ius Philofophicum 63
Ius Pofitiuum 65
idque Diuinum et Humanum 65
rationis 64
reuelationis 64
fociale Vniuerfale late d. 91
Societatis Vniuerfalis 83
focietatum domefticarum naturale late d. 96

Ius

Ius Vniuersale late d. 97
Gentium 97
Vn. Oeconomicum 95
Sociale 91
Societatum domesticarum 95
Societatum particularium 91
Ius subiectiue pro facultate morali sumtum 44
Ius alienum 119
Ius alterius turbare 120
Ius externum 114
internum 114
Ius meum 119. 124
Ius merae voluntatis 115
Ius naturale ad periculum propulsandum 134
naturale late d. 87
naturale resistendi laedere conanti 133
naturale securitatis 134
naturale sese defendendi 133
naturale stricte d. seu strictum 100. 108
Ius proprium late 122
stricte 125
Ius suum 119. 124
suum alteri auferre 120
suum alteri tribuere 120
Iustitia externa personae 116
Iustum externe tale 116

L.

Laesio 118
commissiua, culposa, dolosa } 118
imminens 133
moralis 118
naturalis 130
non-moralis 118
omissiua 118
Laesionem intentans 133
Latitudo moralis 57
Legem negligere 25
seruare 25
Legi satisfacere 25
Legis iuridicae auctoritas 74
Legislator 63
Legis promulgatio 66

Legis

Legis publicatio 66
Legis transgressio late 34
stricte 35
culpabilis et inculpabilis 35
culposa et dolosa 36
excusabilis et inexcusabilis 35
Legis violatio late 34
stricte 35
Legis vis obligandi et imputandi 42
Legum collisio 25
Lex 13
aiens 19
cedens legi alteri 25
Diuina 43
Diuina positiua 50
externa 113. 116
interna 113
iubens 90
iuridice talis 63
moralis late 13
moralis stricte 43
naturalis cogens 99
natur. imperfecta 99
natur. late 49. 50
natur. non cogens 99
Lex naturalis perfecta 99
naturalis stricte 99
naturalis aeterna 67
immutabilis 67
indispensabilis 67 *not.*
necessaria 67
vniuersalis 67
Lex permittens 90
Lex positiua 65
eaque Diuina et humana 65
praeceptiua 19
prohibitiua 19
Lex rationis 64
reuelationis 64
vetans 19
Lex vincens legem aliam 25
Libertas interna 6
Libertas mentis 6
Licitum externe 114
in genere 26
interne 114
Iure Naturali stricto 130
moraliter 46
naturaliter 61
Lubitus 6

M.

M.

Maleficium 117
Malum morale 46. 68
physicum 68
idque positiuum et priuatiuum 68
Mereri aliquid 28
Meritum late 28
stricte 28
Meum 119. 124
Miseria 24
Morale corpus 92
officium 47
Moralis actio 46
conscientia 70
eaque bona et mala 70
facultas 44
imperfectio 69
impossibilitas (stricte) 44
lex late 13
lex stricte 43
necessitas late 11
necessitas stricte 44
obligatio 43
perfectio 69
persona 92
Philosophia 51
possibilitas (stricte) 44
Moralitas actionis 46
subiectiua 55
Moraliter bonum 46
debitum 47
illicitum 46
impossibile (stricte) 44
indifferens 46
iussum 47
licitum 46
malum 46
necessarium (stricte) 44
obligatorium 46
possibile (stricte) 44
praeceptum 46
prohibitum 46
Motiuum 11

N.

Natura 10
hominis 10
Naturale 10
Necessarium legaliter 114
moraliter (stricte) 44
Necessitas extrema 141
legalis 114
moralis late 11
stricte 44

Neces-

Necessitas obligationis natur. 67
Necessitatis fauor 143
Neglectio legis et obligationis 25
Negligentia 38
Noluntas 4
Non-factum 7

O.

Obligatio (passiua) 12
actiua 12. *not.*
Obligatio ad reparandum damnum 128
affirmatiua 19
conscientiae 43
externa 112
interna 112
iuridica 65
moralis 43
moralis positiua 49
Obligatio naturalis 49
nat. aeterna 67
nat. immutabilis 67
nat. imperfecta 98
indispenIabilis 67 *not.*
necessaria 98. 100
perfecta 98. 100
vniuersalis 67
Obligatio negatiua 19
passiua 12
Obligationem negligere 25
Obligationis violatio
late 34
stricte 35
culpabilis et inculpabilis 35
culposa et dolosa 36
excusabilis et inexcusabilis 35
Obligationi satisfacere 25
Obligationum collisio 25
Obligatorium externe 115
Iur. Nat. stricto 130
moraliter 46
naturaliter 61
Oeconomicum Ius Vniu. late d. 96
Officia amoris 106
beneuolentiae 106
humanitatis 106
necessitatis 106
socialitatis 83
Officium in genere 65
conscientiae 47

Offi-

Officium externum 113
internum 113
morale 47
naturale 61
naturale imperfectum 106
naturale perfectum 106
positiuum 65

P.

Peccatum 46
naturale 61
Perfectio hominis moralis 69
Periculum 134
extremum 141
Permissum externe 115
interne 115
Iure N. stricto 130
moraliter 46
naturaliter 61
Persona moralis 92
mystica 92
Philosophia moralis 51
Poena 28
Poenae Diuinae 68
eaeque naturales et arbitrariae 68
Possibile legaliter 114
moraliter 44
Possibilitas legalis 114
moralis 44
Potestate in alicuius positum 8
Principium cognoscendi complexum obligationis in genere 23
Principium cognoscendi I. N. late d. complexum 58
incomplexum 59
Principium fiendi Iuris Nat. late d. 58
Principium fiendi obligationis in genere 23
Praeceptum externe 115
interne 115
Iure N. stricto 130
moraliter 46
naturaliter 61
Praemium 28
Prauum 46
Probitas 47
Probus 47
Prohibitum externe 115
interne 115
Iure N. stricto 130
moraliter 46

Prohi-

Prohibitum naturaliter 61
Promulgatio legis 66
Proprietas late 122
ſtricte 125
Proprium late 122
ſtricte 125
Proſperitas hominis 24
Publicatio legis 66
Pugna legum 25
Punctum morale 57

R.

Ratio, qua facultas animae 4
Reatus 35
culpoſus et doloſus 36
Reparatio damni 128
Reſiſtendi ius naturale 133
Res merae facultatis 115
Reuelatio in genere 64 *not.*
ſpecialis 64. *not.*
Reus culpoſus et doloſus 36

S.

Salus ſocietatis 85
Securitas 134
Socialitas 83
Societas 82
compoſita 94
ſimplex 94
vniuerſalis late 82
ſtricte 83
Societates domeſticae 95
Societatis ſalus 85
Societatum domeſticarum Ius Vniuerſale late d. 96
Societatum particularium Ius Vniuerſale late d. 96
Socius 82
Spiritus 6
Spontaneitas 6
Status hominis extraordinarius 141
extraſocialis 91
irregularis 141
naturalis 91
ordinarius 141
regularis 141
ſocialis 91
Stimulus 11
Superior 63
Suum 119. 124
Suum alteri non tribuere 120

Suum

Suum alteri tribuere 120
Suum naturale 130

T.

Theologia positiua moralis 51
Transgressio legis et *obligationis* culpabilis et inculpabilis 35
culposa et dolosa 36
excusabilis et inexcusabilis 35
late 34
stricte 35

V.

Violatio legis et *obligationis* vid. *transgressio legis.*
Violentia late 135
stricte 98
Virtus 47
naturalis 61
Vis externa late 135
stricte 98
Vis obligandi et imputandi legis 42
Vniuersalitas obligationis natur. 67
Voluntas 4
Vsus iuris sui 119
Vti 119
Vtile 85
Vtilitas 85